

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

In Harmoniam Evangelicæ Historiæ.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203



ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ,
IN HARMONIAM EVANGELICÆ HISTORIÆ.

CAPUT I.

*Quid sit Harmonia Historiæ Evangelicæ: Quis sit ejus finis:
& quæ utilitas.*



Moniam ea, quæ de Harmonia historiæ Evangelicæ à viris doctis in Ecclesia tradita sunt, constituimus hoc scripto, collatis tum veterum, tum recentiorum sententiis & lucubrationibus, repetere.

Principiò explicandum est, quæ sit & esse debeat ratio Harmoniæ Evangelicæ, quis finis & quæ utilitas: ne labor ille existimeur curiosus magis quam utilis, aut etiam cum detrimento veritatis Evangelicæ conjunctus esse.

Est autem Evangelica historia à quatuor Evangelistis, tanquam testibus omni exceptione majoribus conscripta, & complectitur certam ac verâ expositionem seu narrationem de missione Filii Dei in carnem: de ejus exinanitione, & ostensione gloriæ unigeniti: de testificatione Johannis Baptistæ: & de iis, quæ Jesus in publico suo ministerio cœpit facere & docere, à Baptismo Johannis, usque ad diem quo assumptus est in cœlum. Et sicut Petrus affirmat, Act. 10. v. 24. divinitus præordinatos fuisse illos, qui prædicatione sua, quæ stupendis signis & miraculis obfignata & confirmata fuit, eorum, quæ Jesus & fecit & docuit, testes esse debebant, non in Judæa tantum; sed per totum orbem, usque ad extrema terræ, Act. 1. v. 8. ita nullum est dubium, divinitus etiam præordinatos & electos esse illos, qui per Dei voluntatem id, quod Apostoli viva voce de vita & actis Christi prædicaverunt, ipsi in scripturis Ecclesiæ ad omnem posteritatem tradiderunt, ut esset fundamentum & columna fidei nostræ: sicut Irenæus loquitur, lib. 3. cap. 1. Non autem omnia, quæ fecit Dominus, conscripta sunt: sed divina inspiratione selecta sunt, quæ salutem credentium sufficere videbantur: Sicut Augustin. inquit Tractatu in Johan. 49. sive quæ tam ad dogmata, quam ad mores sufficere judicata fuerunt: sicut Cyrillus inquit. Hæc enim scripta sunt, inquit Johannes cap. 20. v. 31. ut credatis Jesum esse Christum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Ac duplici ratione sancita & confirmata est qua-

Harm. Tom. I.

tuor Evangelistarum auctoritas, de veritate historiæ & sufficientia: sicut Augustinus de consensu Evangelistarum tradit. 1. Quia illo tempore scripserunt, quo scripta illorum & à primitiva Ecclesia, ejus aures recentes Christi & Apostolorum voces adhuc personabant, & ab ipsis in carne adhuc manentibus Apostolis approbari meruerunt. 2. Quia quicquid Christus de suis factis & dictis Ecclesiam ad omnem posteritatem legere voluit, hoc scribendum quatuor illis Evangelistis tanquam manibus suis, capite membris dictante, imperavit. Hæc enim sunt Augustini verba. Sed plenior explicatio, de Evangelistarum auctoritate, pertinet ad locum alium. Hoc loco satis est indicasse, nequam hoc agi, quando instituitur Harmonia Evangelica, ut in ipsa historia quatuor Evangelistarum aliquid, vel mutetur, vel addatur, vel detrahatur. Sacrosancta enim & inviolabilis sicut est, ita etiam in Ecclesia conservari debet, quatuor Evangelistarum auctoritas: ad quam rectè accommodatur, quod Johannes inquit, cap. 21. v. 24. Scimus testimonium hoc verum esse. Et Apocal. 22. v. 18. Si quis apposuerit ad hæc: apponet Deus super illum omnes plagas. Et si quis de his diminuerit: auferet Deus partem ejus de libro vitæ.

Verum enim verò, cum Evangelistarum hoc institutum esset, quod tanquam scopum in sua scriptione sibi propositum habuerunt, sicut Johannes exponit, cap. 20. v. 31. ex concionibus & actis Christi ea literis mandare, quibus fides Ecclesiæ per universum mundum instrueretur, confirmaretur & ad omnem posteritatem propagaretur: Jesum esse Christum filii Dei: utque credentes vitam haberent, per nomen ipsius. Huius instituti & propositi potius, quam ordinis & temporis anxiam rationem, in contextenda Evangelica historia, habuerunt. Atque inde factum est, quod Evangelistæ, licet in concionum & rerum gestarum veritate, summum & sanctissimum servent consensum: in contextu tamen & serie historiarum, quisque proprium suum ordinem & peculiarem rationem, non per omnia

A

omnia

omnia reliquis congruentem, prout proposito scopo, de quo dictum est, simplicissime convenire quisque iudicavit, sequatur. Et propter illam ipsam causam, unus idemque Evangelista etiam non semper & ubique in omnibus ordinem temporis & seriem rerum gestarum anxie observat. Ad summam enim fidei non iudicaverunt multum referre, quo loco & ordine quidque narretur, modo id, quod narratur, verum ac certum sit, & ad aedificationem fidei recte & fideliter referatur.

Quia verò diligens observatio in lectione Evangelistarum ostendit, Evangelistas in multis historiis, ordinem, & temporis, & rerum gestarum, servare, in plerisque verò circumstantiis non obscuris prae monstrare viam, ad investigandum in praecipuis partibus consentientem totius Evangelicae historiae ordinem. Ne igitur sacrosancta illa historia videatur esse quasi rudis indigestaque moles, & expositio tumultuaria, seu narratio confusanea, quales esse solent hominum vel vanorum, vel arreptitiorum, in qua, nec inter quatuor illos Evangelistas satis conveniat, nec apud unum eundemque scriptorem historia sibi consistet, aut membra inter se cohaerent, religiosa pietas iudicat, historiam illam, quae omnium summa est, quaeque aeternam nostram salutem complectitur, dignam esse, in qua tantum industria & opera ponatur, ut ex circumstantiis ejus, vel certis & manifestis, vel verisimilibus, investigetur, ac quoad ejus fieri potest, constituatur, de annis vitae seu conversationis Christi in terris, praecipue verò quot annos cursum publici sui ministerii in terris confecerit: quae historiae ad quem annum pertineant: seu quae sint cujusque anni acta: quis sit praecipuarum historiarum ordo seu series, secundum antecedentia & consequentia, tum temporis, tum rerum gestarum: & quae sit ratio consensus & convenientiae seu congruentiae, quod non dissentiant seu pugnent inter se, quando una ac eadem historia à pluribus Evangelistis variatis quibusdam circumstantiis narratur. Et haec si ve investigatio, si ve observatio, si ve notatio ordinis, & distributio historiae, vocatur Harmonia & Symphonia historiae Evangelicae: sicut de veterum hujus argumenti appellationibus mox dicemus.

Est autem talis investigatio non inanis aut otiosa, sed certam ac non contemnendam habet utilitatem: cujus nos praecipua quaedam capita breviter recensimus, ut, ad quem finem haec notationes referendae sint, in conspectu sit.

Et primo, quia omnibus temporibus fuerunt homines impii, ut Porphyrius, Celsus & similes, qui doctrinae Evangelii calumnias, de vanitate ac fallitate, inde struere conati fuerunt, quod ipsa historia Evangelica, sibi non videretur constare: membra narrationis non magis inter se cohaerere, quam scopae dissoluae: Evangelistas etiam inter se dissentire & pugnare. Saepe etiam pii salva fide, specie seu opinione quadam discrepantiae aut confusionis, in lectione historiae Evangelicae offenduntur & turbantur.

Ad retundendas igitur impiorum calumnias, & ad scrupulos piis eximendos, utilis ac propemodum necessaria est in Ecclesia, illa diligentia, quae & ordinem & consonantiam si ve consensus historiae Evangelicae ex certis circumstantiis monstrat.

Deinde, plurimum religiosae jucunditatis habet haec consideratio. Si enim in prophanis historiis illorum studium eruditi omnes singulari benevolentia prosequuntur, qui ex variis scriptoribus & commentariis, praestantium virorum vitas, monstrato, quantum quidem fieri potest, & temporum & rerum gestarum, ordine descriperunt: quomodo non summe delectaret pias mentes, dulcissimi Salvatoris nostri totam vitam & salutaria acta certo aliquo ordine memoria posse complecti & mente circumferre? Memoriae certe subsidium non contemnendum est, totam historiam Evangelicam, certo ordine temporum, locorum & rerum gestarum distributam, animo complecti & menti infigere posse, quae scilicet fuerint cujusque anni peregrinationes, conciones & acta: qua occasione, & quo ordine in plerisque consequentia antecedentibus attextantur. Quae observatio praeter jucundum memoriae subsidium, ad religiosas etiam considerationes & pias meditationes vitae & officii Jesu, incitamenta praebet suavissima.

Tertio. Non jucunda tantum est historica haec ordinis observatio: sed praeterea etiam multa monet utiliter, & pulcherrime illustrat in Evangelica historia, ut vice non contemnendi commentarii esse possit haec consideratio, quomodo Christus totam terram sanctam, quasi in certas partes distributam, ordine peragravit, doctrinam ac miraculis illustravit: quando demum ad fines gentium declinavit: quae doctrinae capita primo fuerint proposita; quae postea addita, & subinde magis illustrata: in quibus locis, & apud quos auditores, quomodo doctrina, vel à discipulis sinistrè intellecta & accepta, vel ab adversariis impugnata fuerit, & quas vel declarationes vel apologias Christus opposuerit: quae fuerint occasiones praecipuarum concionum: quomodo miracula, ad doctrinae illustrationem & officii confirmationem, adhibita fuerint: quae doctrinae partes, quibus miraculis, ob signatae: quomodo eorum, quos instituerat, inspectionem, visitando & confirmando, vel per se vel per Apostolos susceperit: qua ratione multi conversi, quibus reb. plerique offensi, qua occasione quidam defecerint; quomodo fructum apud auditores quaesierit; quamdiu expectavit: quomodo tandem iram Dei ipsis denunciavit: quae certamina & cum quib. habuerit: quomodo una & eadem vel historia vel concio, additis à ceteris Evangelistis aliis quibusdam circumstantiis, illustretur. Haec & alia quae ipsa Harmonia postea ostendet, utiliter profecto & pulcherrime historiam Evangelicam quasi commentario quodam illustrant, quae tam commode considerari non possunt, nisi ordo historiae investigetur & observetur. Inde enim postea facilius colligi potest, ex quibus locis historiae Evangelicae Apostoli suas conciones extruxerint.

Quarto.

Quartò. Ipsa historia Evangelica, ita à quatuor Evangelistis contexta est, ut non obscure appareat, non tantum rerum ipsarum (quod præcipuum est) verum etiam ordinis aliquam rationem habitam. Et quidem, circumstantiæ diligenter inter se collatæ, lectorem ad investigationem ordinis invitare, & ad eam in plerisque, quasi intento ad fontem digito, viam præmonstrare videntur. Matthæus enim, qui primus Evangelicam historiam literis mandavit, licet in plerisque, rerum potissimum rationem habens, historiam contexerit, prout datâ per unam aliquam narrationem occasione, memoriam dictorum & factorum Christi recordatione repetit: in quibusdam tamen expressè notat ordinem rerum gestarum, sicut postea patebit. Et manifestum hoc inde colligitur, cum, juxta Epiphaniæ & Augustini sententiam, inter Evangelistas illi, qui post alios scripserunt, priorum scripta & viderint & legerint: (sicut Lucas de se in præfatione profitetur, & de Johanne Ecclesiastica historia testatur.) Posteriores suis repetitionibus, in præcedentium scriptis, ordinis rationem aliquam monstrare conati fuerunt. Ut Marcus, qui secundo loco post Matthæum scripsit, cum eadem narret, quæ Matthæus antea scripserat, & quidem brevius, causam scribendi habuisse videtur, ut in narrationibus Matthæi ordinem rerum gestarum aliquo modo monstraret: id quod observatio circumstantiarum apud Marcum non obscure indicat: sicut postea ostendemus. Lucas verò ipse præfatur, se ideo post alios scripturum, ut & alius historiam Evangelicam ordiatur, & ordine quodam illam contextat: sicut in multis ordinem historiarum per circumstantias notat, & in plerisque cum Marco in ordine convenit. Unde Tertullianus scriptum Luca non inveniunt vocat Digestum historiæ Evangelicæ. Quædam verò, quorum ordo ex Matthæo & Marco manifestus est, ipse per narrationis occasionem aliquando loco non suo posuit. Et Johannes, cum post editas reliquorum Evangelistarum historias postremus ad scribendum se accingeret, disertè, sicut est apud Eusebium, professus est, se acta primi anni ministerii Christi, à reliquis præterita, sua scriptio addere velle. Et in reliquo historiæ Evangelicæ contextu, expressè aliquod distinctorum annorum festa, quæ in tempus Ministerii Christi inciderunt, notavit; ut moneret, historiam Evangelicam, à reliquis Evangelistis descriptam, juxta illa festa in certos annos distribui posse & debere, cum quidem ordinem rerum gestarum Marcus & Lucas in plerisque non obscure monstrassent. Hæc omnia postea planiora erunt.

Hoc loco sufficit ostendisse investigationem ordinis in historia Evangelica non esse præter mentem Evangelistarum: sed ipsos notatione circumstantiarum subindicasse, quod ordo & temporis & rerum gestarum in Evangelica historia in plerisque narrationibus & investigari & inveniri possit. Non sanè nimis anxie, curiose & subtiles, singulorum quasi momentorum, exquisitiones consectandæ sunt. Est

Harm. Tom. I.

enim commemoratio illa Evangelistarum non exquisita aut copiosa historiæ descriptio, juxta Rhetorum artificium instituta; sed simplex potius expositio, vel vulgaris & in affectata recitatio rerum, quæ veræ, utiles & necessariae sunt. Quales consignationes usitatae sunt in commentariis, quæ ita vocantur, vel in *ὑπομνηματισμοῖς* (sicut Justinus Evangelistarum narrationes appellat, quas in eandem sententiam Eusebius vocat *ὑπομνήματα*) ubi dictorum & factorum alicujus memoria, prout fert occasio, & recordatio suggerit, repetitur & consignatur. Licet autem Evangelistarum institutum non fuerit, Annales seu Ephemerides vel *ἡμερολογίαν* conscribere: non tamen turbulenta sunt miscellanea, tumultuaria & confusa perplexitate quomodocumque confuta, sicut Porphyriani olim cavillati fuerunt. In plerisque igitur & præcipuis Evangelicæ narrationis partibus, ordo temporum & rerum gestarum, ex circumstantiis investigari & ostendi potest. In reliquis rationes verisimiles & conjecturæ non absurde, religiosæ pietati, quæ non præcisionem momentorum, sed ordinem aliquem *ἐν πλάτει* quarit, sufficiunt: in quibus cum de summa fidei non agatur, investigantium diligentia, absq; dissensionum acerbitate, variare potest: ut propositis variis, diligenter inquirentium, sive conjecturis sive rationibus, liberum lectori iudicium pernittatur, quæ collationi circumstantiarum simplicissimè convenire videantur.

Quod verò ordo temporum & series rerum gestarum, primo aspectu lectoribus, in historia Evangelica non semper & ubique statim sese offert: inde non debet colligi; vel nullam prorsus habitam rationem ordinis in Novo Testamento, vel nullam ejus rationem investigari aut iniri sive posse sive debere. Nam & in Veteri Testamento, ubi tamen Spiritus sanctus ex professo voluit tradere certam seriem annorum, ab initio mundi usque ad Messiam, historiæ sapius, vel sine expressa significatione ordinis describuntur, vel pro occasione narrationis aliquando loco non suo recitantur. Postea verò alicubi in aliis locis ponuntur quædam circumstantiæ & notationes, quarum consideratione, & totius historiæ collatione, ordo in plerisque & investigari & inveniri potest. Cumque utriusque instrumenti unus & idem Spiritus auctor sit, non mirum est, consimilem narrationem, quod ad ordinem attinet, utrobique servatam esse. Et cum multi diligentia laudabili, non sine magna Ecclesiæ utilitate, ordinem historiarum Veteris Testamenti investigarint, multò certe justius in Novi Testamenti historia, cujus gloria immensum Vetus Testamentum excedit, similem investigationis diligentiam adhibere convenit. Neque enim verisimile est, Spiritum sanctum, qui auctor est ordinis affectasse *ἀταξίαν* in illa historia Novi Testamenti quæ omnium summa est; cum tanta diligentia in Veteri Testamento, distributionem temporum & ordinem rerum gestarum, in plerisque historiis observavit. Et quidem, cum per Daniele in Veteri Testamento, periodum Ministerii Messiae in carne, definito

A 2

finito

finito annorum numero, dimidia scilicet hebdomadis, circumscripserit: recte Gerson dicit, potuisse Spiritum Sanctum, sub uno eodemque penitus & verborum & ordinis contextu, tradere gestorum verborumque Christi salutarem historiam. Sed non sine magno mysterio placuisse ipsi, sub quadam concordissima (si ita dici possit) dissonantia, mentes fidelium excitare ad humiliorem & vigilantiorum veritatis investigationem, quod palam fieret, quatuor Evangelistas non mutua conspiratione, sed divina inspiratione, fuisse locutos.

His causis motus, cum salutarem historiam, de vita & actis dulcissimi Salvatoris nostri Jesu Christi, a teneris amaverim, mediocri diligentia illorum lucubrationes (quae quidem ad meas manus pervenerunt) tum veterum tum recentiorum, qui aliquid operae investigatione ordinis sive in Harmonia & consensu historiae Evangelicae posuerunt, perlustravi, & in singulis ea, quae momenti aliquid, ad explanandam & illustrandam Harmoniam Evangelicam afferre posse videbantur, notavi, atque inde distributionem quandam historiae Evangelicae privatim mihi informavi, qua adjutus, συνίστην totius hi-

storiae, ordine quodam distributa, in conspectu semper habere, memoria complecti, & mente circumferre possem. Quae ordinis observatio historiam illam dulciorem, gratiorem & illustriorem quodammodo mihi reddidit, ac multas pias meditationes & commonefactiones subjecit. Judicatum itaque fuit a fratribus, operam nec ingratiorem nec inutilem quibusdam lectoribus fore, si praecipua, quae tum a veteribus tum a recentioribus, quae quidem ad investigandam & constituendam Harmoniam Evangelicam aliquid momenti habent, observata & tradita sunt, in uno aliquo libello consideranda, & sicubi variant, conferenda proponerentur. Hoc consilio, ea, quae de hoc argumento ante annos aliquod collegi, & in publicis praedicationibus in hac Brunsvicensi Ecclesia proposui, coepi retexere, & in ordinem redigere. Quibus commonefactionibus & observationibus, si qui voluerint, eo, quo iquis communicantur, candore utantur.

Priusquam vero ad ipsam Harmoniam progrediamur: προλεγόμενα quaedam generalia de praecipuis capitibus, in quibus recte & ordine disponendis totius Harmoniae labor versabitur, praemittemus.

CAPUT II.

De praecipuis Scriptoribus, qui ad investigandam & constituendam Harmoniam historiae Evangelicae utiliter aliquid contulerunt, & quam quisque rationem contexenda Harmoniae secutus sit.

DE Evangelistis, quomodo in demonstratione ordinis mutuas inter se operas tradiderint, in praecedenti capite aliquid dictum est. Jam de Ecclesiasticis Scriptoribus, qui in illustranda Harmonia historiae Evangelicae operae aliquid posuerunt, quaedam annotabimus.

Et primus, qui hoc argumentum in Ecclesia vel tentavit vel tractandum suscepit, fuit TATIANUS, discipulus Iustini Martyris, circa annum Domini 170. Cum enim prius praestantis ingenii Philosophus fuisset, postea ad fidem Christi conversus, ad duo illa utilissima quidem in Ecclesia, sed difficilima & summi laboris, ad Chronologiam scilicet Veteris Testamenti, & ad Harmoniam Evangelicam primus viam aperire & monstrare conatus fuit. Clemens enim Alexandrinus, lib. 1. Stromatum scribit; Tatianum primum auctorem fuisse in Ecclesia inquirendi & constituendi certam aliquam rationem Chronologiae, in historia sacra Veteris Testamenti, atque inde, instituta collatione temporum ostendisse antiquitatem ejus religionis, quam Ecclesia profitetur. Eusebius addit ipsum ex quatuor Evangelistarum descriptionibus, unum contextum historiae, certo quodam ordine coagmentatum, collegisse. Oportet igitur magna

diligentiae & praestantis ingenii hominem fuisse. Et tamen hic tantus vir postea ita lapsus est, ut auctor & princeps fieret horrendae haereseos Encratitarum, qui & matrimonia damnabant, & a carnibus atque a vino abstinendum docebant. Memorabili exemplo humanae infirmitatis, ut magna ingenia discant, in timore Domini se continere, & φρονέειν εἰς τὸ σωφρονέειν. Ro. 12. v. 3.

Operae autem precium est observare, quam rationem Tatianus, in contexta sua Harmonia secutus sit. Haec enim observatio ad nostrum institutum aliquid conferet. Eusebius igitur lib. 4. c. 27. scribit, Tatianum composuisse ex quatuor Evangelistis unam continuam narrationem historiae Evangelicae, quam Eusebius vocabulis significantibus appellat συνάφην, hoc est conjunctionem, connexionem, contextum seu cohaerentiam, & συναγωγὴν collectionem in unum, sive contractionem in compendium historiae Evangelicae: quodque opus illud nuncupavit τὸ διατεταράχων, hoc est, unum Evangelium ex quatuor collectum. Et Tatianum in illa Harmonia Evangelica non mutasse, sed retinuisse verba Evangelistarum, inde colligitur: quod Eusebius quasi ex antithesi addit reprehensionem Tatiani, quod in Pauli Epistolis μετὰ φρασίν tentavit, quasi corrigere volens compositionem dictionis Paulinae. Praeter haec ex Eusebio non

non

non potest colligi, quæ fuerit ratio Harmonia Tatiani.

Victor verò, Episcopus Capuanus, circa annum Domini 450. Cum tale quoddam scriptum, in quo dicta & facta Salvatoris, à quatuor Evangelistarum descriptione discreta, à quatuor Evangelistarum descriptione discreta, in ordinem, quo se consequebantur, redacta erant, sine titulo & nomine auctoris invenisset, verisimilibus conjecturis adductus, Tatiano illud tribuit, quod inter Orthodoxographa, seu vetustissima Ecclesiasticorum scriptorum opera Basilæ editum, nunc extat. Et titulus est *ἁρμονία τῶν εὐαγγελίων*. Victor reddidit consonantiam Evangeliorum. Atque inde ratio Harmonia Tatiani colligi potest. Singulis enim historiis & concionibus singula attribuit capita (sicut usitatè nunc loquimur) atque ita totum contextum dividit in 181. capita. Ubi verò eadem historia ab aliis etiam Evangelistis pluribus aut variatis circumstantiis describitur: retinet quidem in plerisque Matthæi contextum: addit autem & interferit illi suo loco præcipuas circumstantias ab aliis etiam notatas. Non enim sollicitus est, singulorum verba, aut minutiores circumstantias anxie annumerare: in serie seu ordine historiarum, ad nullius Evangelistæ contextum Harmoniam suam præcisè alligavit: sed quæ discreta narratione à quatuor Evangelistis exposita sunt, in ordinem, quo ipse iudicavit, illa se consequi debere, redegit. Rationem ordinis, quam in singulis historicis certo loco collocandis & disponendis secutus sit, non exponit. Et ordo eius in plerisque historiis inde perturbator factus est, quod omnia acta, publici ministerii Christi, intra curriculum unius anni concludit, & distincta illa festa Paschatis, Johan. 2. & 6. ad unicum illud, quod Matth. 26. describitur, contorquet. Multa tamen non inutiles comonstrationes de ordine historiarum, ex illa Tatiani Harmonia sumi possunt, sicut postea monebimus.

Licet enim non ubique veram rationem ordinis assecutus sit Tatianus: laudandum tamen est studium ipsius, quo primum viam illam, cum in nullo scriptore Ecclesiastico, quæ sequeretur vestigia haberet, ingressus est, & posteritatis studia accendit, ut huic viæ, monstrata quidem, sed nondum planæ & apertæ, diligentius insisterent. Gratam autem tum Ecclesiæ fuisse illam Tatiani operam, inde manifestum est: quod Eusebius, licet tenuiter illam commendat (inquiens: Collegit unum ex quatuor *ἐκ αὐτῶν*, nescio quomodo) tamen addit, multorum manibus suo etiam tempore versatam fuisse illam Tatiani Harmoniam. Et Theodoretus scribit, illo libro, non eos tantum, qui sectæ illius erant, verum illos etiam, qui Apostolica dogmata sequebantur, *ὡς συνίσταται* tanquam compendiario libro usos. Quanquam horrendus auctoris lapsus harmoniam illam plerisque ingratam, multis verò etiam invisam reddiderit. Epiphanius etiam refert, quosdam Tatiani harmoniam intelligere, quando Eusebius lib. 3. Cap. 24. scribit, Ebionæos solo Evangelio secundum Ebræos uti. Et Theodoretus scribit, se in Ecclesiis suæ inspe-

Harm. Tom. I.

tionis invenisse ultra ducenta exempla eius harmoniæ, quæ in magno precio haberetur: sed quia in illa, & genealogiæ, & omnia loca, quæ testantur Christum ex femine David natum, expuncta essent: (quæ tamen in nostro exemplari extant, unde colligitur, ab aliis hæreticis, post Tatiani mortem, illa expuncta fuisse,) se eam removisse, & restituisse Ecclesiis quatuor Evangelistarum Evangelia. Et hæc de Tatiano.

Cum verò ex Tatiani opinione, quasi Christus post Baptismum unico tantum anno prædicasset, Valentiniani mirifica paradoxæ extruere conarentur: Irenæus lib. 2. c. 39. opinionem illam confutaturus ex Johanne ostendit, Christum, tempore sui publici ministerii, post Baptismum aliquoties ad diversa festa Paschatis, ascendisse Hierosolimam. Ut primò, Johan. 2. Deinde secunda vice, inquit: Ascendit ad diem festum Paschæ, cum Joah. 5. paralyticum, qui annos triginta octo decubuerat, sanavit. Tertiò, cum imminente festo Paschæ quinque millia fatiaret. Et deinde, cum post resuscitatum Lazarum, crucifixus est. Ex duobus enim illis unum Pascha facere videtur Irenæus: quia tria tantum Paschata numerat. Ita Irenæus primus ostendit rationem, ex historia Evangelica investigandi annos ministerii Christi: quam ipse mox postea vento traditionum abreptus, ætatem Christi inter quadragesimum & quinquagesimum annum ponit, sicut postea notabimus. Quam ipsius opinionem Ecclesia meritò reputavit.

Postea circa annum Domini 230. AMMONIUS Alexandrinus, Præceptor Origenis, cum argumentum illud à Tatiano institutum videret ab omnibus probari, sed propter auctoris nomen scriptum ipsius multis ingratum esse, & à plerisque accuratius aliquid in hoc genere desiderari, ipse idem argumentum tractandum suscepit, & unum è quatuor (sicut Hieronymus loquitur) contextuit. Et quam rationem tum in sua Harmonia servavit, Eusebius in Epistola ad Carpianum ostendit: quod scilicet contextum seu ordinem Matthæi sibi propulerit, & ex reliquis Evangelistis, ubi vel eadem vel similia describuntur, ea excerpta, & quasi in unum congesta, contextui Matthæi annexerit, ita ut solius Matthæi contextus, in suo ordine consisteret, in reliquorum lectione *εἰρημὸς ἀκολληθῆναι* series ordinis seu coherentia interruptus videretur. Illum contextum Ammonii Hieronymus (sicut Gerson recitat) conquestus fuit suo tempore falso sædèque laceratum apud Latinos extitisse, & vitio scriptorum, & propter varias Evangeliorum translationes. Ipse verò Gerson dicit, sua ætate apud Latinos non extitisse scriptum illud Ammonii Anno autem 1523. inventa sunt græca quædam fragmenta titulum Ammonii præferentia, quæ Ortomarus Luscinus (qui postea ipse Ammonii exemplo peculiarem Harmoniam germanicè composuit) latinè conversa edidit. Sed titulum fallere, & Harmoniam eam non esse Ammonii manifestissimum est, si ad Eusebii descriptionem conferatur. Non enim Matthæi ordinem seu contextum sequitur, sed alium ordinem

A 3

servat:

servat: nec unam continuam narrationem ex quator Evangelistis contexit: sed breviter capita tantum narrationum notat. Alterius igitur labor iste est: Sicut mox dicemus.

Post Ammonium, circa annum Domini 320. EUSEBIUS Cæsariensis idem argumentum, sed alia ratione illustrare, conatus fuit. Ut enim salvo corpore (sicut ipse loquitur) sive textu, singulorum Evangelistarum, sciri possit, in quibus locis eadem & similia describant, excogitavit canones (quos ita vocat) qui ostendant, quæ historiae, & quibus in locis, simul à quatuor Evangelistis describantur: quæ à tribus: quæ à duobus: & quæ historiae ab uno tantum quodam ex Evangelistis descriptæ & annotatæ sint. Et usus sanè illorum canonum Eusebianorum nunc quidem magnus non est. Longè aliter enim tunc distincta fuere capita Evangelistarum, quam nunc in nostris editionibus græcis & latinis habentur. Hoc tamen commodi inde habemus, quòd Concordantiæ, ut vocant, quæ in nostris editionibus in margine singulis Evangelistis adjectæ sunt, ex illis Eusebii Canonibus sumptæ, & faciliori ratione ad nostras editiones accommodatæ sunt. Ex illis etiam Canonibus intelligitur, quæ ratio Harmoniæ Evangelicæ Eusebio potissimum probata fuerit: ut scilicet non una continua narratio ex quatuor Evangelistis contexatur (ita enim contextum Evangelistarum interrumpi & misceri iudicavit) sed ut salvo corpore & contextu singulorum Evangelistarum, in una quasi area per Cancellos distincta, è regione ponantur, primò historiae, quæ à quatuor Evangelistis simul descriptæ sunt: secundò, quæ à tribus: tertio, quæ à duobus: servatis cujusque Evangelistæ verbis: & postremò seorsim collocentur historiae, quæ ab uno aliquo solo Evangelistæ annotatæ sunt. Hic enim est ordo & series canonum Eusebianorum. Et licet ex illa Eusebiana ratione non possit, vel accurata distributio temporum, vel certus historiarum ordo colligi & constimui: hoc tamen inde sumi potest, in contexenda Harmonia historiae Evangelicæ, quando de ordine aliquo historiarum constitutum est, non tantum unam continuam narrationem ex quatuor, exemplo Tatiani & Ammonii coagmentandam esse, sed & hanc rationem, quæ singulorum Evangelistarum descriptiones, retentis cujusque verbis, & servato cujusque contextu, distinctè & sine mixtione, juxta se, sive è regione, ponit, utilem esse; ut quæ collationem Evangelistarum in singulis historiis ob oculos & in conspectu ponit, atque ita multum lucis afferre potest. Sicut postea in Harmonia utramque rationem, non juxta ordinem Eusebianorum canonum; sed juxta seriem seu consequentiam historiarum, servabimus. Non enim sine causa Deus historiam Evangelicam, à quatuor diversis testibus, non sub eodem contextu circumstantiarum, nec eodem tenore verborum describi voluit, sed ut collatio historiae & confirmaret & illustraret. Atque ideo Hieronymus agrè tulit, suo tempore omnia mixta facta fuisse in Evangelistis: ut apud singulos, non quæ

& quomodo ab ipsis scripta, sed quæ ex aliis etiam Evangelistis addita, & quomodocunque inserta essent, legerentur. Non malè itaque iudicavit Eusebius, corpus & contextum cujusque Evangelistæ salvum relinquendum, & diversorum descriptiones collationis gratia, juxta se ponendas. Sicut prima ratio Tatiani & Ammonii ostendit, adeò non dissentire inter se Evangelistas, ut ex ipsorum descriptionibus una consentiens, consona & continua narratio contexti possit: ostendens quomodo circumstantiæ, quæ variare videntur, concordari & in unum quasi corpus narrationis conjungi possint. Ita utraque ratio teneri potest.

Porrò in historia scholastica (quæ ita vocatur) inter eos, qui unum ex quatuor conscripserunt, post Ammonium & Eusebium nominatur etiam THEOPHILUS Antiochenus. Et in veterum quidem catalogis non vidi tale scriptum Theophilo tribui, præterquam quòd Hieronymus ad Algaiam Epist. 152. quæst. 6. scribens, his verbis testatur: Theophilus Ecclesiæ Antiochenæ septimus post Petrum Apostolum Episcopus, qui quatuor Evangelistarum in unum corpus dicta conpingens, ingenii sui nobis monumenta reliquit. Quòd si ergo opus illud adhuc nostra ætate extaret, merito ipsi, si non primæ vel saltem secundæ partes, inter scriptores Harmonicos tribuendæ essent, quia circa Tatiani tempora ipse quoque vixit & claruit. Verum quod quicquam istiusmodi sub ipsius nomine extet, ego quidem non scio. Nihilominus tamen, quia fragmentum illud, quod Lucinius sub Ammonii nomine edidit, ipsius non esse antea manifestè ostendimus, non sanè contendere velim, sicut affirmare nec possum nec ausim, Theophili hæc esse. Quia tamen vetus scriptum esse non est dubium, & ejus usus aliquis ad nostri instituti rationem esse potest nominemus, sanè illud Theophili Harmoniam. Servatur autem in illa Harmonia peculiaris quædam ratio. Ordo enim historiarum sua quadam serie connectitur: ipsæ autem historiae non integræ describuntur, sed tantum capita seu argumenta earum breviter recitantur, & notantur loca, ubi apud Evangelistas extant. Et hæc erit tertia ratio contexendæ Harmoniæ Evangelicæ: ut quasi Elenchus distributionis temporum & ordinis historiarum, sine plena historiarum descriptione delineetur. Illud verò peculiare habet Theophili hæc Harmonia, præ reliquis de quibus hactenus diximus, quòd curriculum publici ministerii CHRISTI in tres annos distribuit, & singulis annis peculiare historias assignat. De qua annorum distributione mox dicemus.

In hoc verò argumento illustrando EPIPHANIUS etiam circa annum Domini 380. aliquid operæ posuit. Scribens enim contra Hæreticos Alogos, dicit, & hos, & Porphyrium, item Celsum, & Philosabbatinum ex Judæis oriundum, accusasse Evangelistas, quòd in descriptione historiae Evangelicæ inter se non consentirent. Ostendit igitur Epiphanius, in historia Evangelica, si di-

fi diligens & accurata instituat collatio, inveniri & distributionem annorum, & ordinem aliquem historiarum. Ex festis enim, ad quæ apud Johannem Christum scribitur Hierosolymam ascendisse, colligit tres annos prædicationis Christi: de qua supputatione in sequenti capite dicemus. Exempli verò gratia (cum argumentum illud ex professo explicandum non suscepisset) ostendit, quomodo ex quatuor Evangelistarum descriptionibus investigari possit historia, à Baptismo Christi usque ad capturam piscium, Luc 5. De quo ordine postea in ipsa Harmonia quædam dicemus. Illam autem distributionem annorum, & notationem ordinis historiarum, elegantissimis vocabulis Epiphanius appellat, ἀκριβείαν, hoc est, exactam rationem Evangeliorum: συμφωνίαν, hoc est, Harmoniam, consonantiam, concordiam seu consensionem: ἀκλόνητον, hoc est, Ordinem, seriem, seu consequentiam historiarum, qua antecedentia & consequentia inter se coherent aut conjuncta sunt, & historiae se consequuntur, sicut Victor Capuanus loquitur. Dicit etiam Epiphanius, Evangelia continere σύνωδα προσάλληλα, hoc est, sicut in Harmonia Mulica vocum & sonorum concors ratio & proportio: licet diversitas quædam videatur. Atque inde sumtum est vocabulum Harmoniæ Evangelicæ.

Post hos omnes AUGUSTINUS, videns à multis quidem contexi Harmonias Evangelicas, neminem verò illorum vel ostendere vel exponere rationes ordinis & consequentia. Iple igitur ex diligenti consideratione & collatione circumstantiarum, ita cœpit inquirere ordinem temporum & rerum gestarum in historia Evangelicæ, hoc est, sicut ipse loquitur, ante quid & post quid præcipuæ historiae & accidissent & collocandæ essent, ut fundamenta & rationes ordinis, ubi ostendi poterant, exponeret. Ubi verò nulla manifesta ratio ordinis poterat inveniri, vel quæstionem in medio reliquit, vel quid verisimile videretur, indicavit. Quæstiones etiam de circumstantiis, ubi in descriptione historiarum vel eadem sunt vel diversæ, licet similes videantur, ubi etiam variare & quasi speciem dissonantiæ præbere videbantur, eruditè solvit & diligenter explicat, ostendens narrationes quatuor Evangelistarum inter se pulcherrima quasi Harmonia consonare: contra illos, qui calumniabantur, Evangelistas sibi non constare in narrationibus, sed inter se dissentire, multa dissonantia, quædam etiam repugnantia scribere. Et libros illos Augustinus inscripsit, De Consensu Evangelistarum, in quibus multa, quæ ad illustrandum hoc argumentum pertinet, continentur. Extant illi in Tomo quarto operum ipsius, pag. 371.

Post Augustinum etiam quosdam hoc argumentum tractasse, Historia Scholastica, quæ circa annum Domini 1160. composita est, testatur. In illa enim aliquoties mentio fit quorundam, qui post veteres illos unum ex quatuor scripserunt, & quem ordinem secuti sunt, ostenditur: sicut postea in ipsa Harmonia suo loco monebimus.

Harmon. Tom. I.

RHENANUS etiam de rebus Germanicis scribens, Historiam Evangelicam rithmis Germanicis olim populis Francicis fuisse expositam, videtur significare, tali ratione, de qua jam agimus, ex quatuor Evangelistis decerptas esse historias: sicut ex illis, quæ inde citat, colligitur. Et memini D. Philippum dicere, se vidisse Monotesaron, sumtibus Ludovici Pii compositum, quod existimet in bibliotheca Lipsica haberi.

Postea verò auctor historiæ Scholasticæ PETRUS COMESTOR, cum videret fratres suos Longobardum & Gratianum, novum genus Theologiæ, scholasticæ scilicet in Ecclesiam invehere, & Longobardum quidem ex Patrum sententiis, Gratianum verò ex conciliorum decretis, corpus doctrinæ Ecclesiasticæ constituere: ipse, ut ad sacræ scripturæ lectionem animus exscitaret, totam historiam sacræ Veteris Testamenti, juxta ordinem temporum, & seriem rerum gestarum distribuit, & per summaria capita, additis quibusdam explanationibus, notatis etiam aliarum gentium, quæ in eadem tempora incidissent, historiis, exposuit. Atque eadem ratione etiam Evangelicæ historiæ Harmoniam, monstrato aliquo historiarum ordine, quem ex veterum Commentariis, quibus Evangelia explicuerunt, se collegisse dicit, instituit. Non autem integram historiarum descriptiones repetit, nec nudum etiam tantum Elenchum, sicut Theophilus, recitat: sed quæ præcipuè in singulis historiis observanda sunt, brevi notatione complecti conatur, monstrans tanquam argumentum singularum historiarum. Id quod postea in nostra etiam Harmonia imitari & exprimere studebimus.

Inter Monachos etiam illi, qui meditationes de vita Jesu conscripserunt, talem ordinem historiarum ex quatuor Evangelistis contexere conati sunt. In hoc genere extat breve quoddam scriptum BONAVENTURÆ, præcipua acta Salvatoris Christi ordine quodam meditando proponens.

LUDOLPHUS verò de Saxonia Carthusensis, hoc argumentum præ aliis copiosius & diligentius persecutus est, non ex Apocryphis; sed ex ipsa serie historiæ Evangelicæ vitam Jesu piè meditando proponens. Distribuit autem historias eo ordine, prout res gestæ exigere videbantur, modestè addens, se ordinem illum non ita tradere, quasi velit eum omnino ubique certum & necessarium haberi. Et observetur, Harmoniam historiæ Evangelicæ præbere occasiones & incitamenta ad pias meditationes de tota vita Jesu, quæ rectius vel commodius institui possunt, quando pia mens totam historiam Evangelicam ordine aliquo temporum, & serie quadam rerum gestarum distributam, sibi propositam habet. Et Ludolphum illum ante Gersonem scripsisse, inde colligi potest, quod in ordinanda historia, nullam illius mentionem faciat, quod in tali argumento omisurus non fuisset, cum aliorum nomina tam diligenter alleget. Et Trithemius annotavit, ipsum circa Ann. Dom. 1330. floruisse.

A 4 Tandem

Tandem circa Ann. Dom. 1400. cum veterum quorundam de hoc argumento lucubrationes interciderent, JOHANNES GERSON exemplo Augustini illud instaurare cœpi. Quia enim Augustinus ostendit modum & rationes, quomodo ab initio historia Evangelicæ usque ad illud tempus, quo Baptista publicum suum ministerium exorsus est, diversarum Evangelistarum descriptiones & verba, sub una continua serie narrationis possunt compingi. Gerson id, quod Augustinus incoaverat, pertexuit. Totam enim historiam Evangelicam ordine quodam in unam continuam narrationem redegit, atque ita Harmoniam ex quatuor Evangelistis contexit, servatis & indicatis cujusque Evangelistæ verbis. Divisit autem totum opus in tres partes, & in 150. capita: singulis historiis singula tribuens capita. In prolixioribus verò historiis, ut in sermone Domini in monte, in sermone post cœnam, in historia passionis & resurrectionis addidit subdivisiones. In ordine historiarum ut plurimum sequitur Augustinum. Titulum operi fecit, unum ex quatuor: alii nuncuparunt *μονοτέσσαρον*, & primum locum inter ipsius opera tenet.

Post Gersonem multi argumentum illud tractandum susceperunt, cum viderent, in Monotessaro Gersonis, quædam nulla consequentiæ ratione coherere: quædam loco alieno inserta, quædam citra necessitatem distracta, & aliis locis repetita. A variis igitur auctoribus, & ante, & nostro etiam tempore conscripta sunt *μονοτέσσαρα*, *τετραμόνα*, conciliationes & concordantiæ Evangelistarum. Item Pandectæ legis Evangelicæ. Quorum quidam reliquarum Evangelistarum narrationes, sicut Ammonius in Matthæo fecerat, accommodarunt ad ordinem à Marco servatum: quidam ad ordinem à Luca traditum: pauci in certos annos Harmoniam Evangelicam distribuere conati sunt: plerique verò ordinem arbitrium excogitarunt, cujus rationem reddere vel non voluerunt, vel non potuerunt, cum circumstantiis Evangelicæ historiae non satis conveniret. Et quando plures Evangelistæ eandem historiam describunt, inde plerique unam continuam contexuerunt narrationem non annumeratis singulis sed præcipuis Evangelistarum verbis: alii integros singulorum Evangelistarum textus exemplo Eusebii, ordine posuerunt, non in una continua narratione. Horum nomina singulatum recensere operæ precium non est. De illis tantum pauca quædam dicemus, qui in suis Harmoniis talem historiarum ordinem instituerunt ac servarunt, quem rationibus vel certis vel probabilibus ex ipsis Evangelistarum circumstantiis demonstrare conati sunt, servatis singulorum Evangelistarum verbis & sententiis integris ac omnibus.

Et in hoc genere primus occurrit ANDREAS OSIANDER, qui maximo labore & singulari ingenii acumine, nova profusa ratione Harmoniam historiae Evangelicæ contexit, ita ut nullam historiam (exceptis duabus, Matthæi de vulvis spicis, & sanata manu arida) extra contextum,

quo in singulis Evangelistis descriptæ sunt, loco movere & transponere cogatur. Sentit enim contra totam antiquitatem, Evangelistas nihil vel per anticipationem, vel per recapitulationem narraffe: sed singulos in suo contextu & ordine, temporis & seriem rerum gestarum servasse: ita ut exempli gratia, servato ordine Matthæi, ex Marco, Luca & Johanne, cujusque ordine servato, historia, quæ vel eadem vel aliis locis sunt, suis certis locis vel præmittantur vel inserantur: atque hoc modo, servato cujusque Evangelistæ ordine progressus fiat. Et valde concinna videtur hæc ratio, quod nullius Evangelistæ contextus turbatur, nec transpositione historiarum sursum deorsum quasi defultare cogitur: sicut fit in aliis Harmoniis. Unum tantum incommodum habet, quod historias, quæ consensu totius antiquitatis, & circumstantiis hoc manifestè testantibus apud diversos Evangelistas eadem sunt, ipse cogitur alias seu diversas facere, & longo temporis intervallo divellere, qua ratione sermone perit illa collatio Evangelistarum, quomodo eadem historia à diversis Evangelistis descripta additione plurium & aliarum circumstantiarum, & mutatione quorundam verborum illustretur. Habet autem Oslander responsionem admodum verisimilem: non esse absurdum, sentire, quod Christus familia miracula mutatis paucis circumstantiis sapius vel in iisdem vel aliis locis, diversis temporibus, in aliis atque aliis personis ediderit, quodque eandem doctrinæ vocem verbis vel iisdem, vel similibus, sapius inculcando, diversis temporibus repetiverit. Qua dere & postea & in ipsa Harmonia plura dicenda erunt. Distribuit autem Oslander totam Evangelicam historiam juxta festa Paschatos in certos annos, & redigit eam in unam continuam sibi coherentem narrationem, ita, ut nullum verbum ex omnibus Evangelistis omitteretur: excogitatis ad hoc ingeniosissimè literis, quæ monstrant, quorum Evangelistarum sint singula verba in contextu: & quorum verba, cum in contextum continuæ narrationis inseri non potuerint, in margine annotentur.

Illam rationem Harmoniæ Evangelicæ, utpote novam & ab universæ antiquitatis sententia discedentem, multi non per omnia probant. MOLINEUS verò maxime & unice eam probat: sequitur etiam CODOMANNUS, qui ne quidem duas illas historias, Matth. 12. de spicis & de manu arida transponi volunt: sed contendunt, & illas diversas esse ab iis, quæ à Marco & Luca describuntur. Sed Molineus illam rationem non probat, ut ex quatuor Evangelistis, una quædam continua & sibi coherens narratio contexitur: Præfert autem Eusebii rationem ut scilicet è regione ponantur singulorum Evangelistarum descriptiones & verba, quando unam & eandem rem narrant. Sentit enim, Deum ideo non unum, sed quatuor voluisse habere Evangelicæ historiae scriptores, ut collatio illa & confirmaret & illustraret doctrinæ Evangelicæ veritatem.

Inter illos verò, qui vetustatis vestigia in conte-

contexenda Harmonia Evangelica secuti sunt, POMERANUS egregium specimen edidit, in historia passionis & resurrectionis Christi. Et sub finem vitæ instituerat, totam historiam Evangelicam in talem Harmoniam seu ordinem redigere, & ad Marci potissimum contextum accommodare: sed senectute impeditus, & morte præventus, opus vix incoavit. Ex cuius incoacta delineatione, D. PAULUS CRELLIUS proficitur, se suam Harmoniam extruxisse.

Et in hoc genere bonam & diligentem operam navavit CORNELIUS JANSENIUS, in ordinem continuæ narrationis redactis, & suo loco positis, quæ Evangelicæ non servato vel temporum vel rerum gestarum serie recensent: expositis etiam rationibus ordinis, quæ ex circumstantiis vel manifestis, vel probabilibus sumptæ sunt.

Hi sunt præcipui (quorum quidem scripta ad nostras manus pervenerunt) qui in hoc argu-

mento illustrando operæ aliquid posuerunt. Qui enim illud non ex professo tractarunt, sed in commentariis obiter de ordine historiarum quarundam, & de circumstantiarum conciliatione aliquid disputarunt, hæc propriè non pertinent: licet commonefactiones ipsorum institutum hoc non parùm juvare possint. Sicut hæc etiam non pertinet, quod CALVINUS disputat, Evangelistas non habuisse magnam rationem ordinis, atque ideò sæpè ea, quæ quomodocunque similia sunt, licet diversis vel locis vel temporibus acciderunt, in Harmonia conjungit, omissa & seorsim posita historia Joannis.

Et ex hac recitatione constitui jam posset, pro instituti nostri ratione, dispositio hujus nostræ Harmoniæ. Sed de distributione temporis seu annorum ministerii Christi, & de methodo investigandi ordinem rerum gestarum, ac consequentiam historiarum, prius quædam exponenda sunt.

CAPUT III.

Quâ ratione deprehendi & colligi possit vera supputatio totius temporis, quo Christus in publico suo Ministerio in terris versatus est, à Baptismo scilicet usque ad diem sive Passionis sive Ascensionis. Et quomodo inde constitui possit vera sententia de ætate Christi secundum carnem, à Nativitate scilicet usque ad Passionem.

Via instituti nostri ratio est, ostendere distributionem temporis ministerii Christi, & ordinem historiarum, constituemus primò de vera supputatione totius illius temporis, cujus series & distributio investiganda & monstranda est. Vocamus autem Ministerium, publicam administrationem illius vocationis sive functionis, ad quam Messias in hunc mundum, à Patre missus erat, ut inciperet facere & docere.

Petrus enim, Act. 1. v. 21. vocat ingressum & egressum, phrasi Hebraica, quæ solent illi Ministerium sive administrationem publicarum functionum describere. Vt Deut. 3. v. 27. 2. Par. 11. v. 10. Et Paulus Rom. 15. v. 8. dicit, Christum ministrum factum circumcisionis. Eandem etiam appellationem ipse Filius Dei in diebus carnis suæ sibi tribuit, Matth. 20. v. 28. Marc. 10. v. 45. Filius hominis venit *diakonein*. Post ascensionem verò, ipse quidem ut Caput, gubernat Ecclesiam. Nobis vero, inquit Paulus 2. Cor. 3. v. 6. & 5. v. 18. dedit Ministerium reconciliationis. Quod igitur Petrus vocat ingressum & egressum: nos appellamus Tempus Ministerii Christi.

Disertè autem in Scriptura notati sunt termini sive limites (ut sic appellem) hujus Ministerii Christi: quando scilicet incoatum fuerit, & quando abfolutum. Ita enim Petrus inquit, Act. 1. v. 21. Toto tempore in quo ingressus & egres-

sus inter nos est Dominus Jesus: incipiens à baptismo Joannis, usque ad illum diem, quo assumptus est à nobis. Et Act. 10. v. 37. Incipiens à Galilæa post Baptismum, quem prædicavit Joannes, quomodo unxit Deus Jesum à Nazareth, Spiritu S. & virtute, qui pertransit benefaciendo & sanando, quem occiderunt. Hunc Deus suscitavit tertiâ die, & exhibuit manifestum testibus præordinatis, &c. Initium igitur ministerii Christi fuit, quando à Joanne baptizatus, voce Patris in auguratus, & Spiritu sancto unctus, ad prædicandum missus est, Luc. 4. v. 18. ut inciperet facere & docere, Act. 1. v. 1. & duravit usque ad diem assumptionis.

Et quia distributionem & ordinem historiæ illius temporis investigare instituimus, priusquam ad ipsas historias progrediamur, duo hæc necessariò explicanda sunt.

1. Quæ sit vera supputatio illius temporis, quod intercessit à Baptismo Christi usque ad diem ascensionis, & quomodo colligi possit.

2. Quâ ratione totum illud tempus in certos annos distribui possit. Hæc igitur quattuor fieri poterit brevissimè expediemus.

Fuerunt autem variæ de hac supputatione etiam apud Veteres sententiæ, illas primùm recensebimus, & postea ostendemus, ex quibus fundamentis, & qua ratione colligenda sit vera supputatio.

Vulgaris opinio, etiam apud vetustissimos, fuit: omnia illa dicta & facta, quæ in Evangelica historia,

historia, à Baptismo Christi usque ad passionem eius describuntur, unius tantum anni spacio comprehendenda esse.

Irenæus enim lib. 2. cap. 39. opinionem illam & recitat & refutat.

Tatianus quoque, Justini Martyris discipulus, Harmoniam suam ita instituit, ut totam historiam Evangelii, à Baptismo usque ad passionem, ad unum Pascha accommodet, & unius anni periodo includat.

Tertullianus etiam in libro adversus Judæos, dicit: Christum passum eodem anno, quo publicum Ministerium inceperat, decimo quinto scilicet Tyberii, cum haberet annos quasi triginta.

Clemens Alexandrinus, 10. Strom. illam opinionem, de unico anno Ministerii Christi, probat & conatur confirmare: quia scriptum sit, Esa. 61. v. 2. prædicare annum Domini acceptum. In eadem sententiâ videtur etiam Augustinus esse de civitat. lib. 18. cap. 54. Dicit enim Christum mortuum esse duobus Geminis Consulibus. Et Chronographia ostendit. Caj. Rubellium Geminum, & Caj. Fusium Geminum, consularum gessisse Anno Tiberii decimo quinto.

Eusebius etiam lib. 3. l. cap. 18. Matthæum, Marcum & Lucam scripsisse post captivitatem Baptistæ, ἐφ' ἓνα ἑνιαυτὸν ἡρωραγυμένα, quæ ad unum annum continuum gesta sunt.

Et Alogi opinionem illam, sicut Epiphanius scribit, tam fortiter tutati sunt, ut maluerint Evangelium Joannis, quod videbant diversum testari, rejicere, quàm ab illa traditione de unico anno, quæ tot antiquitatis testimonia haberet, recedere.

Occasionem autem hæc opinio accepit inde, quod Matthæus, Marcus & Lucas, in tota historia Evangelica, unius tantum Paschatis expressam mentionem faciunt.

Irenæus verò videt opinionem illam non posse consistere, quia Johannes numerat aliquot festa Paschatis, quæ in tempus ministerii Christi inciderunt. Primum scilicet, quod describitur Joan. 2. v. 13. Alterum, quod describitur Joh. 5. v. 1. Illud enim festum, Irenæus dicit, Pascha fuisse. Tertium, quod tempore miraculi quinque panum imminabat, Joan. 6. v. 4. in quo existimat Irenæus Christum crucifixum. Sed Irenæum hoc loco inconsideratè confundere duo diversorum annorum Paschata, manifestum est. Joannes enim inter Pascha, cujus mentio fit, Joan. 6. v. 4. & inter illud Pascha, in quo Christus crucifixus est, expresse dicit, intercessisse festum Tabernaculorum, cap. 7. v. 2. & Encæniorum, cap. 10. v. 22. Duo erga distincta illa festa Paschatis fuerunt. Atque ita non tria tantum, sicut Irenæus, sed quatuor distincta festa Paschatis, Joannes numerat. Non autem colligit Irenæus supputationem annorum ministerii Christi ex scripto Joannis Evangelio: sed mox delabitur ad traditiones, quæ tunc magna specie prætexebantur, viventibus adhuc illis qui Apostolos audiverant. Recitat igitur, omnes Senio-

res in Asia testari, Joannem Apostolum ipsis tradidisse, Christum baptizatum quidem anno 30. sed non cœpisse docere, priusquam ætatem magistri haberet: annos scilicet 40. atque ita, cum per annos aliquot doceret, pervenisse ipsum ad ætatem seniorum, quæ non multum abfuerit ab anno 50. Et addit: Quidam autem Seniorum hæc eadem ab aliis Apostolis audierunt, & testantur de hujusmodi relatione. Accommodat autem huc illud Joan. 8. quod Judæi dicunt, Joan. 8. v. 57. Quinquaginta annos nondum habes, & Joan. 2. v. 20. Quadraginta sex annis ædificatum est templum. Et ibi Christus loquitur quidem de templo corporis sui. Sed hanc Irenæi sententiam Ecclesia, nec probavit, nec recepit: memorabili exemplo, quid faciendum sit, quando aliquis ex Patribus à veris & manifestis Scripturæ fundamentis recedit, & ad traditiones quantumvis plausibiles delabitur: licet postea etiam prætextum aliquem quærat ex locis Scripturæ impropriis.

Ita Paulus quidam Episcopus Sempronienfis narrat, se in somniis ab Apostolo Paulo edoctum, Christi ætatem fuisse annorum 36. & omnes Chronologos errare in 3. annis. Sed non ex somniis, nec ex incertis traditionibus aliquid in Ecclesia pro dogmate seu articulo fidei statuum est: quin potius ad Legem & ad Testimonium, quod si non dixerint, sive Pythones sive Traditionarii, juxta verbum hoc, non erit ejus matutina lux. Esa. 8. v. 20. Malletus igitur supputationem illorum annorum humiliter ignorare, cum præsertim sine periculo & salutis dispendio hoc fieri possit: quàm temerè ex somniis vel incertis traditionibus aliquid pro certo affirmare. Sed quia antea ostendimus. Evangelistas mutuas quasi operas tradidisse in suis scriptionibus, ut certus ordo Evangelistæ historiæ possit investigari & deprehendi: ex Evangelistarum igitur descriptionibus hæc supputatio rectè colligi & debet & potest.

Primus autem Irenæus hoc observavit, Joannes ideò post reliquorum narrationes annotasse aliquot festa Paschatis, ad quæ Christus tempore Ministerii sui ascenderit, ut supputatio & distributio annorum, quam à reliquis videbat neglectam, ex certis fundamentis possit colligi. Sed ab hoc fundamento patitur se Irenæus abduci, prætextu traditionum.

Epiphanius verò contra Alogos illam Irenæi observationem repetendo evolvere conatus fuit. Numerat autem tria illa festa Paschatis, quorum expressa fit mentio in Joanne, præterito illo, quod ex quinto capite Joannis Irenæus annumerat. Ut: Primum Pascha, Joan. 2. v. 13. post miraculum in Cana editum. Secundum, Joan. 6. v. 4. post miraculum quinque panum. Tertium, in quo passus est Christus, Joan. 13. injicit verò Epiphanius etiam mentionem de Sabbato secundo primo, Lucæ 6. v. 1. quod non malè de Paschatis festo interpretatur. Sed confundit illud cum aliis, ita ut tria tantum Paschata numeret.

Et sunt qui existimant, ex hac supputatione trium

trium festorum Paschatis confici triennium: sed falluntur. Epiphanius enim rectè inde colligit, tantum duos annos & aliquot dies, qui supersunt à Baptismo usque ad primum Pascha. Nam non multò ante Pascha incoavit Christus Ministerium, & in tertio festo Paschatis crucifixus est. Juxta Epiphanius. Et hæc supputatio non facit triennium, sed, sicut dictum est, biennium.

Eruditæ autem sunt cogitationes LUTHERI, & aliorum, qui ex Daniele colligunt talem supputationem. Dicit enim Propheta: confirmabit pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis cessare faciet hostiam & sacrificium: scilicet oblatâ victimâ sui corporis. Facit autem dimidia septimana tres annos & dimidium. Hinc sumta est communis & recepta sententia, quæ etiam in Theophili fragmentis extat, Christum in ministerio suo, dicendo & faciendo, versatum esse annos tres & totidem menses, seu dies, quot intercesserunt à Baptismo ad primum Pascha. Et huic sententiæ etiam extera historia suffragantur. Eusebius enim ex Ethnicorum commentariis recitat defectiorem illam Solis, quæ tempore passionis Christi facta est, annotatum esse, quod contigerit quarto anno 202. Olympiadis. Et quod tempus illud inciderit in 18. annum Tiberii: cujus anno decimo quinto Christus ministerium suum incoaverat.

Sed hæc supputatio ex descriptione Joannis colligenda & probanda est. Hoc est enim fundamentum quod investigamus. Et de tribus quidem festis Paschatis, quæ in tempore ministerii Christi inciderunt, nulla est controversia: sicut jam monstravimus. Diserte enim, ipso vocabulo Paschatis expresso, numerantur Joan. 2. v. 13. & 6. v. 4. & 13. v. 1. Et plerique hæc numeratione contenti sunt, quia existimant, inde confici spacium trium annorum. Sed falluntur: sicut vel digitis supputanti manifestum est. Fiant enim inde duo tantum anni integri. Si igitur illa supputatio, Christum quarto anno ministerii sui crucifixum esse, constari debet, necesse est, præter illa, quæ jam monstrata sunt, aliud adhuc, sive quartum Pascha ostendi posse in Evangelica historia. Ut Christum post incoatum suum ministerium, non in tertio, sed in quarto Paschate crucifixus sit. Ita enim prodibunt tres anni integri, & tantum temporis, quantum elapsum fuit post Baptismum, usque ad primum Pascha. Sed quartum illud Pascha non numeratur expresse seu nominatim in historia Evangelica: & tamen sine certa ejus auctoritate, nihil nec debemus, nec volumus, affirmare & constituere.

Jucundum autem est considerare, qua ratione quartum illud Pascha in historia Evangelica investigatum sit. Irenæus siquidem & Epiphanius vestigia quædam ejus monstrarunt. Licet enim uterque tria tantum Paschata numeret: ille tamen festum Joan. 5. v. 1. accipiendi pro Paschatis festo; hic vero exponendo Sabbatum secundo primum, Luc. 6. v. 1. pro Paschate, vesti-

gia quædam quarti Paschatis submonstrarunt. Rupertus verò ex verbis Christi, Joan. 4. v. 35. de quatuor mensibus ante messem, cœpit colligere, quale festum intelligendum sit Joan. 5. v. 1. Historia scholastica, quia ponit Christum sexto Januarii baptizatum, & eodem die post revolutum annum primum signum fecisse. Cum igitur illo anno necesse erit Pascha intervenisse, dicit, unum Pascha in Evangelio non expressum, hoc modo sub intelligendum esse.

Sed Andreas Osiander primus, quod ego sciam, quartum illud Pascha in narratione Joannis eruditè, certò & liquidò monstravit. Et colligitur illud hoc modo. Post Pascha, Joan. 2. v. 13. & ante illud sequens Pascha, quod Joan. 6. describitur, incidit aliud festum, Joan. 5. v. 1. ad quod etiam Christus tempore ministerii sui ascendit. Illud festum Chrysostronus, Cyrillus & Epiphanius intelligunt Pentecosten, quæ mox eodem anno post quinquaginta dies secuta sit primum illud Pascha, quod Joan. 2. v. 13. annotat. Et in hanc sententiam etiam Calvinus discedit. Sed hoc impossibile est, & constare nullo modo potest. Verum quidem est, singulos annos inter unum Pascha & proximè sequens, habuisse alia plura festa juxta legem: sed quia cujusque festi tempora certò notata sunt, Levit. 23. & Deut. 16. facile quid sentiendum sit, colligi poterit. Nam Joan. 4. v. 3. cum post primum Pascha Christus ex Judæa reverteretur in Galilæam, priusquam ad festum illud Joan. 5. v. 1. rursus ascenderet, diserte exprimitur, fuisse tunc tempus quatuor mensium, usque ad messem. In Palestina verò messem scilicet hordeaceam incoatam fuisse statim post Pascha, & ante Pentecosten absolutam fuisse etiam triticeam messem, certum & manifestum est, cum ex aliis Scripturæ locis, ut Joan. 3. v. 15. & 2. Reg. 2. v. 9. ubi prima messis est hordei, post quam sequitur messis triticea. Ruth. 2. v. 23. & Ex. 9. v. 31. tum verò certò hoc præcipue colligitur, Ex. 34. v. 22. Levit. 23. v. 10. Num. 28. v. 26. Deut. 16. v. 9. Ita enim textus inquit: altera die Paschatis feretis manipulum spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino. Item v. 14. Panem, polentam & pulcem non comedetis ex segete, usque ad diem, qua offeratis ex ea Deo vestro. Et addit v. 15. ab illa altera die Sabbati numerabitis quinquaginta dies, & offeretis sacrificium novum, panes primitiarum: hoc est, sicut interpretantur, in Pentecoste panes propositionis & levationis ex novis frugibus conficiebantur. Deut. 16. v. 9. dicit Moses, quinquaginta dies ante Pentecosten falcem in segetes mitti. Et inde mensis Paschalis vocatur mensis novarum frugum. Exod. 13. v. 4. Deut. 16. v. 1. Et quidem si fruges nondum ad maturitatem pervenissent, cogebantur mensem intercalare, ut seges ad maturitatem albescens, incideret in primum mensem: ita enim illi, qui Judaicarum consuetudinum periti sunt, referunt. Festum quidem tabernaculorum vocatur festum collectionis frugum: sed additur ex area & torculari. Deut. 16. v. 13.

Mani-

Manifestissimum igitur est, Primò, festum Joh. 5. v. 1. non posse esse Pentecosten, quæ proxime post Pascha, quod Joh. 2. v. 13. describitur, primo anno ministerii Christi secuta sit. Quatuor enim illi menses, usque ad messem, de quibus Christus Johan. 4. v. 35. loquitur, non potuerunt in illa regione esse intra Pascha & Pentecosten unius & ejusdem anni, sicut tempora messis in Canaan jam monstrata sunt.

Quia verò Johan. cap. 5. v. 1. non exprimit quale festum fuerit, videndum est, potueritne esse aliquod aliud ex reliquis festis, quæ primo illo anno ministerii Christi, secundum legem observata fuerunt. Et ratio plana erit. Tempora enim festorum legalium, ad stata tempora determinata sunt à Mose. Ponamus itaque, messem in Palestina incoatam fuisse post Pascha, vel in Aprili, vel Majo: & supputatio ostendet, illud quod Johan. 4. v. 35. Christus dicit: (adhuc quatuor menses, & tunc messis erit) factum esse in Decembri, vel in Januario. Ergo festum Johan. 5. v. 1. non potuit esse vel Tabernaculorum festum, vel Enceniorum primi anni ministerii Christi. Illud enim mense Septembri, hoc Novembri jam celebratum fuerat, priusquam in Decembri Joan. 4. Christus diceret: Adhuc quatuor menses sunt ad messem. Porro à mense Decembri, usque ad sequens Pascha, nullum legale festum, ad cuius celebrationem Hierosolymam ascendendum erat, incidit: Sicut ostendit descriptio festorum. Habent quidam Judæi jam in suis Calendariis 10. Decembris, jejunium obsessionis, 4. Reg. 25. v. 1. & 15. Januarii agitant convivia, ob succum arboribus restitutum. 14. Februarii agitant festum sortium, eo ferè modo sicut Christianorum vulgus celebrat Ethnicorum Bacchanalia. Sed loquimur de illis festis, non quæ ex traditionibus irreperant, sed quæ Deus ipse instituit, & per Mosem veteri populo solenniter celebranda, idque tantum Hierosolymis mandavit.

Secundò igitur, & hoc demonstratum est festum, Johannis 5. v. 1. nec esse Pentecosten, nec ullum aliud ex reliquis festis, quæ post Pascha, Joh. 2. v. 13. illo anno, qui ministerii Christi primus est, inciderunt.

Tertiò, manifestum est & hoc, festum Johan. 5. non pertinere ad illum annum cuius initium facit Pascha, quod Joh. 6. v. 4. describitur. Contextus enim manifestè ostendit, festum Johan. 5. fuisse ante Pascha Johan. 6. Quia igitur post Decembrem, quando Christus dixit: adhuc quatuor menses usque ad messem, nullum aliud festum legale prius occurrit, quàm Pascha, consequens erit, festum Joan. 5. esse festum Paschatis. Non est autem illud Pascha, quod Joh. 2. describitur. Post illud enim sequitur. Nec est illud, cuius mentio fit Joh. 6. v. 4. Antecedit enim. Ergo necesse est, fuisse aliud & diversum ab his. Atque ita vera & certa supputatione investigatum & inventum est quartum illud Pascha, quod cæteris tribus supra commonstratis additum, constituit triennium Ministerii Christi. Quòd vero Johannes festum illud non ex-

pressè nominat Pascha: sed tantum festum Judæorum, arbitror ideo factum esse, quia notatione illa, de quatuor mensibus ante messem, satis sibi visus est, attento lectori significasse, quòdnam festum intelligi vellet: Cum etiam ex descriptione Lucae de Sabbato secundo primo, in quo Apostoli spicas vellebant, hoc posse colligi videret, de quo postea dicendum erit.

Quod si quis excipiat, non posse certa demonstratione probari, festum illud Johan. 5. necessariò esse Pascha, cum possit esse aliud de reliquis festis, si non primi anni, saltem sequentis aut alterius anni. Sicut multi probabiliter disputant, festum illud, Joh. 5. fuisse Pentecosten, secundi anni ministerii Christi: sicut postea in Harmonia ostendemus. Illi certè hac demonstratione convinci possunt, intercessisse aliud festum Paschatis. Qualecunque enim ponatur esse festum. Johan. 5. certum est, non esse illius anni, cuius principium est Pascha Johan. 2. v. 13. Hoc enim demonstratum est. Nec potest referri ad illum annum, cuius initium facit Pascha, Johan. 6. v. 4. Id enim ordo textus manifestè redarguit. Qualecunque igitur festum secundi anni posueris, fuisse illud Joan. 5. non poteris effugere, quin cogaris concedere, fuisse aliud Pascha intermedium, inter illud quod Johan. 2. v. 13. describitur, & quod sequitur Johan. 6. v. 4. Pascha enim principium est reliquorum festorum, cuiusque anni. Et hoc tantum erat demonstrandum: quatuor esse festa Paschatis, quæ in tempus ministerii Christi inciderunt: quorum tria expresse nominantur à Joanne: quartum verò illa notatione, quam hactenus ostendimus, vere & liquido ex cap. Joan. 5. & Luc. 6. colligitur.

Manifesta igitur & plana jam est supputatio annorum, quibus Christus in Ministerio suo versatus est: à Baptismo usque ad passionem.

A primo enim Paschate, Joan. 2. v. 13. usque ad festum Joan. 5. v. 1. est primus annus.

Ab illo verò festo, usque ad Pascha, cuius mentio fit Joan. 6. v. 4. est secundus annus.

Et ulterius usque ad Pascha Joan. 13. v. 1. in quo crucifixus est Christus, supputatur tertius annus.

Ratio verò temporis, quod intercessit à Baptismo usque ad primum Pascha, supputationem extendit in quartum annum, qui non est completus: sicut de illo tempore postea dicitur. Et Nicephorus inquit: Non implevit totum quadriennium.

His ita ex veris fundamentis constitutis, facile potest colligi ætas Christi à nativitate usque ad passionem. Si enim anni ministerii Christi adjiciantur annis ejus à nativitate usque ad Baptisimum, supputatio plana erit.

Mathematici suis calculationibus admodum sudarunt, ut investigarent, quoto anno ætatis Christi, Luna 14. vel 15. mense vel Martio vel Aprili in diem Veneris (ut vocant) incidisset. Hic enim esset dies passionis. Et Gauricus dixit, anno Christi 34. ad 25. Martio hoc fuisse. Illud verò Pitatus acerrimè negat. Joannes Lucidus tradit,

dit, anno Christi 33. labente die 3. Aprilis, Lunam 14. incidisse in sextam feriam, qua Christus passus fuit. Atque ita Christum complevisse annos 32. menses 3. dies decem. Paulus Episcopus Forosempronienſis tradit, se calculatione sua invenisse, Christum anno 36. labente, 30. Martii passum. Mercator scribit, anno Christi 35. die Aprilis 2. Lunam 14. incidisse in 6. feriam. Oriuntur autem illæ diversitates supputationum inter Mathematicos præstantissimos inde, quod annos bis sextiles alii aliter ponant. Quodquæ annum natiuitatis Christi, alii Augusti annum 41. alii 42. ponant. Sed nos ex Evangelicæ historiae circumstantiis hæc investigemus.

Epiphanius igitur, qui tantum duos annos ministerii Christi supputat, colligit annos ætatis ejus 32. & 74. dies: qui scilicet superſunt à die Natali usque ad Pascha. Ponit enim Christum baptizatum sub finem anni ætatis trigesimi currentis, quibus addit duos annos ministerii Christi, & fiunt 32. Adjectis autem diebus superfluis, statuit Christum mortuum esse anno ætatis 33. incoato.

Inter illos verò, qui tres annos numerant ministerii Christi, oritur quædam differentia inde, quod Lucas inquit, capite 3. v. 23. Erat Jesus quasi annorum triginta ἀρχόμενος ὢν. Quod vêtus interpres ita reddidit: Erat incipiens quasi annorum triginta. Et plerique ita interpretati sunt: Incipiebat agere seu ingredi annum trigessimum. Inde historia Scholastica, Lombardus, Lyranus, & his vêtustiores, Apollinaris & Victorinus (sicut citantur à Chronographis) posuerunt, Christum baptizatum esse in principio anni trigesimi ætatis, cum vicessimus nonus annus completus esset, & præterea, usque ad sextum Januarii, exacti dies tredecim. Ad illos verò 29. annos, addiderunt annos ministerii Christi tres & totidem menses, & collegerunt illum numerum, quem Lombardus, lib. 4. quaest. 44. his verbis describit: Triginta duum annorum & trium mensium erat ætas Christi, in qua mortuus est & resurrexit. Alii ut colligerent usitatum annorum numerum, Christum crucifixum esse anno ætatis 34. posuerunt, baptizatum esse post completum annum 30. in principio anni 31. Statuunt enim ex traditione, sexto die mensis Januarii Christum baptizatum, de quo in sequenti capite dicemus. Et verba Lucæ ita interpretantur: Erat incipiens quasi annorum triginta, scilicet completorum. Et illi particulam ὠρεῖ, interpretantur pro circiter. Significaturi enim numerum non præcisum, sed qui sit vel paulò plus, vel paulò minus, dicimus; qui discubuerant, erant quasi vel circiter quinque millia, hoc est, non multò vel plures vel pauciores.

Epiphanius verò illa verba Lucæ ἀρχόμενος ὢν, rectius ita interpretatur: Erat annorum quasi 30. ita, ut inciperet esse quasi 30. annorum. Existimat enim Lucam ad illud (erat annorum quasi 30.) addidisse sequentes particulas ἀρχόμενος ὢν propter exactiorem & magis perspicuam temporis determinationem. Quia enim particula ὠρεῖ indeterminatè tam

Harm. Tom. I.

paulo plus, quàm paulò minus potest significare, ideo Lucam addidisse ἀρχόμενος, ut ostenderet, fuisse tunc Christum annorum 30. non quidem planè completorum, sed qui mox seu brevi complendi essent: hoc est, sicut Epiphanius supputat, decem menses anni tricesimi jam erant confecti, & restabant tantum duo menses ad annum trigessimum completum: ut non multò ante diem natalem anni trigesimi completi baptizatus sit, & non multum abfuerit à 30. anno.


Quod verò prima opinio sentit, Christum tantum viginti novem annos & dies tredecim natum fuisse, cum baptizaretur, hoc particula ὠρεῖ non admittit. Sicut enim quando dicitur: erant quasi quinque millia, non intelligitur, quod fuerint tantum quatuor millia, & ultra vel decem vel triginta, sed quod numerus non procul abfuerit à quinque millibus. Aliàs enim diceretur: erant quasi quater mille. Ita si Lucas voluisset notare annos tantum 29. & paucos dies, tredecim scilicet ultra, non dixisset: erat quasi triginta annorum: sed quasi viginti novem annorum. Epiphanius interpretationem etiam Ambrosius confirmare videtur. Pro, Quasi, enim legit ferè: Erat ferè annorum triginta. Irenæus etiam lib. 2. cap. 39. ita intelligit locum Lucæ, inquiens: Ad Baptismum venit nondum qui triginta annos suppleverat. Sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum.

Alii duo illa vocabula ἀρχόμενος ὢν, non referunt ad supputationem annorum; sed ita interpretantur: Jesus ἀρχόμενος, hoc est, cum in Baptismo à Patre inauguratus, incoaret ministerium suum, erat quasi annorum triginta: ὢν existens, sicut putabatur, filius Josephi, &c.

Et hæc interpretatio concinna est, & optime convenit cum Grammatica. Lucas enim verbo ἀρχόμενος utitur de incoatione ministerii Christi, Act. 1. v. 22. & 10. v. 37. Et omnino durior videretur constructio, quando duo illa participia, ἀρχόμενος, ὢν, conjunguntur, & ad præcedentem numerum annorum referuntur. Euthymius legit ἐρχόμενος: hoc est, cum veniret ad Baptismum, ad auspicandum Ministerium, erat 30. annorum, existens, ut putabatur, filius Josephi.

Sive igitur hoc modo, sive ex Epiphanius sententia verba Lucæ accipiantur, additis annis ministerii tribus, & tot mensibus sive diebus, quot superſunt à Natali usque ad Pascha, prodibit hic numerus: Christum mortuum esse & resurrexisse anno ætatis tricesimo quarto. Reliqua de supputatione temporis à Baptismo Christi ad primum Pascha, in sequenti capite explicabimus.

Hæc sunt fundamenta supputationis totius temporis seu periodi historiae Evangelicæ cujus distributionem & ordinem instituimus.



B

CAPUT

Quomodo tempus Ministerii Christi in præcedenti supputatione collectum, in certos annos distribui possit, ita ut constituto, si non exactè verifimiliter tamen, exordio & termino cujusque anni, observari possit, ad quos annos singula historiae referenda sint, seu quæ sint cujusque anni acta.

Jucundum est, & non habet nihil utilitatis, posse observare, quæ sint cujusque anni acta, sive ad quem annum ministerii Christi, & quo ordine illa, quæ in historia Evangelica describuntur, (ut sunt; peregrinationes, conciones, miracula, auditorum conversio, multorum obstinacia, quorundam defectio, certamina cum adversariis, & si quæ alia ad historiam pertinent,) referri commodè possint.

Illud verò fieri non potest, nisi termini singulorum annorum, ubi scilicet in Evangelica historia incipiant, ubi desinant, notentur. Sed magna objicitur difficultas, quò minus exactè hæc distributio tradi & ostendi possit. Ut enim de dierum supputatione, quam Postillatores sine omni ratione commentati sunt, solliciti non sumus. Certè ad quem anni mensem tempus baptizati Christi referendum sit, nec Evangelistæ expressè annotarunt, nec ex circumstantiis historiae exactè colligi potest. Atqui hoc est exordium primi anni ministerii Christi, sicut Lucas inquit, Actor. 1. v. 22. Quòd si igitur exordium illud, exactè ad certum tempus anni referri non potest, nec constitui poterit, ubi præcisè terminetur. Et idem in sequentibus annis accidere necesse erit.

Accedit quòd Joannes, qui sua scriptione distributionem temporis in historia Evangelica ostendere voluit, non videtur annorum distributionem juxta tempus baptismi Christi instituere, sed notatis illis festis Paschatos, quæ in tempus ministerii Christi inciderunt, ad illorum supputationem videtur ordinem historiae & distributionem temporis accommodare. Atque hoc modo, juxta festa Paschatos, Ofiander & annos ministerii Christi, & acta singulorum annorum distribuit. Et contextus totius historiae Evangelicæ, sine perturbatione ordinis, ad illam distributionem secundum festa Paschatos, omnium simplicissimè & facilimè accommodari potest. Illorum igitur rationem distributionis, quia expedita est, postea in Harmonia sequemur: Est enim à Joanne, monstrato & numero & ordine festorum Paschatos, quæ in tempus ministerii Christi inciderunt, Ecclesiæ tradita. Sed in illa distributione unicus est scrupulus, quod in primo Paschate Johan. 2. v. 13. non potest exactè constitui initium primi anni ministerii Christi: nec secundum Pascha exacta supputatione erit finis primi anni, & exordium secundi: & ita in reliquis.

Baptismus enim Christi, qui publico ipsius ministerio initium præbuit, per aliquod tempus præcessit festum Paschatos, ita ut, exempli gratia, historiae, quæ per trimestre tempus & amplius ante secundum Pascha acciderunt, pertineant ad acta non primi sed secundi anni. Et idem in sequentibus etiam annis observandum est.

In ipsa autem tractatione deprehendi, non tantum juxta festa Paschatos, verum etiam secundum tempus baptizati Christi, quo publica ipsius missio, voce patris & unctione Spiritus sancti renunciari cœpit, posse constitui initium & finem, cujusque anni ministerii Christi, non exactè quidem, quasi per minutissima momenta, verum *εν τῷ πλάτει*, ut tamen supputatio non multum aberret à verò. Petrus enim, Actor. 1. v. 20. & 10. v. 37. docet, supputationem & distributionem temporis ministerii Christi incoandam esse à Baptismo Christi. Ipse Johannes verò, in descriptione secundi anni de quatuor mensibus ante mensem, & in quarto anno de festo Encaniorum, videtur studiose notare voluisse historias, quæ in reliquis annis vel respondent tempori baptizati Christi, vel certè ab eo non multum absunt, sicut mox ostendemus. Itaque hanc etiam rationem distributionis annorum ministerii Christi investigabimus, & cum priori illa etiam postea in Harmonia sequemur. Ultraque enim ratio, ex præscripto Joannis sumitur, & si simul ponantur, altera alteram adjuvabit. Ut mutuis auxiliis ordinem & distributionem absolvant.

Hæc autem secunda ratio distributionis inde pendet, ut investigetur, circa quod anni tempus Christus à Johanne in Jordane baptizatus sit. Ita enim inquisitio institui poterit, an deprehendi possit, quæ historiae in reliquis annis circa illud anni tempus, quo Christus baptizatus fuerat, acciderint.

Hac etenim ratione initia singulorum annorum ministerii Christi in historia Evangelica investigari poterunt.

Et hoc quidem Lucas annotavit, quoto anno ætatis Christus Baptizatus sit. Hoc etiam constat, aliquam temporis intercessisse moram inter Baptismum Christi, & inter sequens Pascha. Sed quot septimanae fuerint à tempore baptizati Christi usque ad Pascha, & quo mense anni baptizatus sit, ex Evangelica historia exactè & præ-

præcisè colligi non potest. Aliquot igitur supputationes recitabo: & postea ex circumstantiis historiæ colligemus, quæ ad hanc investigationem viam nobis monstrabunt.

Epiphanius supputatio hæc est. Quia Lucas dicit: Erat quasi annorum triginta incipiens esse, &c. Christum cum baptizaretur complevisse annos ætatis viginti novem & decem menses. Et hanc supputationem ita colligit. Ex traditione quadam ponit, ante 8. Idus Januariarum, hoc est, quinto vel sexto die Januarii (uterque enim numerus legitur in Græco exemplari) quem eundem ponit etiam Natalem Christi, factum esse primum signum in Cana Galilææ. Et ab illa die retrò supputat quadraginta dies tentationis. A tentatione dicit Christum reversum Nazareth, Luc. 4. v. 16. ibique quatuordecim dies commoratum. Postea quatuor dies mansisse apud Joannem, & tertio die factas nuptias. Hi numeri juncti faciunt 60. dies, & illos retrò numerando deducit ad diem ante sextum idus Novembris, hoc est, ad septimum Novembris. Et illum ponit diem Baptismi Christi. Sed hæc supputatio non potest pro demonstratione certa & indubitata consistere. Traditio enim de sexto die Januarii extra scripturam & incerta est: adeo ut vulgaris jam invaluerit opinio, diem Natalem Christi non esse sexto Januarii, sicut Epiphanius tradit, sed 25. Decembris. Et quod dicit Epiphanius, Christum statim post tentationem reversum, non ad Jordanem ubi Baptista erat, sed Nazareth, contextus & ordo historiæ apud reliquos Evangelistas non admittit: sicut postea ostendemus. Fundamenta igitur supputationis Epiphanius non sunt certa.

Plerique supputant tempus à Baptismo Christi usque ad Pascha, fuisse trium mensium & decem dierum. Vulgaris enim opinio est, sexto die Januarii tria hæc facta fuisse: Magos venisse ab oriente: Christum baptizatum: & elapso anno primum signum in Cana illo die factum esse. Et qui juxta hæc opinionem historiam Evangelicam distribuere & contexere conati sunt, ordinem miserè perturbarunt, & contextum foedè lacerarunt, dum voluerunt primum signum Christi in secundum annum ministerii ipsius transferre, sicut historia scholastica facit.

Quidam verò sinxerunt illo ipso die, statim cum in Jordane baptizatus esset, fecisse primum illud signum in Cana. Sed quia narratio Evangelistarum hoc nullo modo patitur, alii, post sermonem Domini in monte, atque ita post multa jam edita miracula, initium illud signorum in Cana factum, contra historiæ Evangelicæ fidem collocarunt. Error autem iste inde habet originem. Jactata fuit traditio, Christum baptizatum 6. die Januarii. Epiphanius verò aliam diversam habet traditionem, sexto die Januarii primum signum in Cana factum, cum ante sexaginta dies baptizatus fuisset. Ex illis duabus diversis traditionibus conflata est tandem una opinio: illa scilicet, quæ statuit Baptismum Christi factum esse sexto Januarii. Et post annum eodem die, primum signum factum. Et licet de-

Harm. Tom. I.

scriptioni Evangelistarum opinio de initio signorum Christi nullo modo conveniat: tamen propter titulum Traditionis, maluerunt non tantum à verbis Evangelistarum recedere: verum etiam ordinem & contextum perturbare & convellere: cum tamen ex errore confusio facta sit, duarum incertarum & dissentientium traditionum. Et hæc observanda sunt propter inanes titulos traditionum, quæ ad palliandas superstitiones veritati opponi solent.

Per se etiam illa opinio, quæ statuit Christum sexto die Januarii baptizatum, descriptioni Lucæ non satis congruit. Vel enim dicendum est, Christum cum baptizaretur triginta annos jam completos habuisse, & ultra triginta annos, tredecim dies anni 31. elapsos, quod participium *δεχόμενος* apud Lucam non admittit, cum inquit: Erat quasi triginta annorum incipiens esse. Vel dicendum erit, sicut Longobardus supputat, Christum baptizatum cum 13. dies tantum post annum ætatis 29. absolvisset. Sed hoc particula *ὡσεί* apud Lucam non patitur. Quando enim Scriptura inquit: erant quasi quinque millia: certè non intelligit ultra quater mille, tantum 10. aut 20. personas superfuisset: sed numerum non procul à quinque millibus, sive minus sive plus, abuisse, sicut in præcedenti capite ostendimus. Irænis etiam sentit, Christum non procul abuisse à 30. anno completo, cum baptizaretur. Quantum igitur vulgari opinioni de sexto die Januarii tribuendum sit, ex his judicari poterit.

Unde autem traditio illa orta sit, ex primo Stromatum Clementis colligi potest. Dicit enim, Basilidis hæretici sententiam fuisse, Christum baptizatum decimo quinto Mensis Tybi. Alios verò ante Basilidem, 11. diem Mensis Tybi tribuisse Baptismo Christi. Epiphanius verò 11. Tybi refert ad 5. Januarii. Inde igitur originem cepit hæc traditio. Et memorabile est, traditionem illam de sexto Januarii, non pro demonstratione seu immota veritate in Ecclesia receptam fuisse. Ita enim Maximus in homilia de Epiphania inquit: In hac celebritate, sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici nobis festivitate lætandum. Ferunt enim, hodie Christum vel stella duce à Gentibus adoratum: vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse: vel suscepto à Joanne Baptismo consecrassè fluentia Jordanis. Sed quid potissimum præsentis factum sit die, novit ipse, qui fecit. Hæc ille. Incertis igitur traditionibus, niti nec possumus, nec debemus.

Functius ex Daniele conatur colligere, inter Baptismum Christi & proximè sequens Pascha, spacium semestris aut dimidii anni intercessisse, Daniel enim dimidium hebdomadis, hoc est, tres annos & dimidium tribuit ministerio Christi. Et hæc supputatio à festo Paschatis retrò facta, deducit tempus Baptismi Christi in mensem Septembrem: qui multis & præcipuis festis celebris fuit. Et pulcherrima sanè esset analogia festorum, sive Expiationis sive Tabernaculorum, ad Baptismum Christi & incoationem ministerii ipsius, si aliqua vestigia hujus supputatio-

B 2

tatio-

tationis in historia Evangelica monstrari possent. Funccii verò supputatio, qui censet, Baptistam primo die Septembris, in festo Tubarum, ministerium suum incoasse: & 10. die post, in festo Expiationis, Christum baptizatum: ad figuras Veteris Testamenti pulchrè sanè congruit. Sed hoc habet incommodi, quòd ea, quæ de ministerio Baptismi, Matth. 3. & Luc. 3. cap. scribunt, intra tam breve spacium, 10. dierum includit, quod nulla ratione fieri potest, sicut conferenti historias manifestum est, & postea ostendemus.

Recitavi diversas supputationes, quæ ostendunt, varias esse opiniones de tempore baptismi Christi. Quia verò ab hoc exordio pendet illa distributio annorum ministerii Christi, de qua cœpimus dicere, omnium simplicissima est ratio, si traditionibus & præsumtis opinionibus sepositis, ex ipsis circumstantiis historiae Evangelicæ inquiratur & investigetur, quæ supputatio ad veritatem quàm proximè accedere videatur: Ut quia exacta præcisio haberi non potest, sumatur medium *ἐν μέσσει*, quod à veritate non multum absit, & ad illud distributio reliquorum annorum accommodetur.

Certum igitur est, post Baptismum per 40. dies Christum in deserto jejunasse. Addendi autem præterea sunt dies profectiois in desertum, & reditus ex deserto ad Jordanem. Non enim absque pedestri itinere à Spiritu in desertum sublatus fuit, quia Marci & Lucæ descriptio aliud testatur: sicut postea ostendemus. Et si constaret, in quod desertum Christus ductus fuisset, facile posset de supputatione aliquid constitui. Arbitror autem, hanc sententiam vero non esse absimilem. Multa fuerunt deserti in Palæstina, quæ peculiaribus cognominationibus notantur & distinguuntur; sed quæ habitationi hominum non omnino fuerunt incommoda, nec ab hominum conversatione prorsus aliena. Desertum verò in quo Christus tentatus fuit, sine aliqua notatione vel additione simpliciter vocatur desertum: & non tantum à consuetudine hominum remotum, verum etiam truculentis bestiis plenum fuit, Mar. 1. v. 13. Non errabit ergo, opinor, qui de deserto quod vocatur magnum, in quo filii Israel per 40. annos vagati sunt, interpretetur. Hoc enim figuræ introductionis in terram promissam pulcerrimè consonat. Et multa aliæ figuræ sunt, quæ non malè huc quadrant. Est enim ibi locus tentationis, Exod. 17. v. 7. Est locus, ubi non in pane vixit homo, Exod. 16. v. 4. Et Christus ipse hos locos in tentatione allegat. Ibi Moses: ibi etiam Elias jejunavit 40. diebus & 40. noctibus.

Porro 3. Reg. 19. v. 8. Iter Eliæ à Bersabe usque ad montem Horeb scribitur fuisse 40. dierum: quod tamen, si quis rectè eò pergat, non erit tot dierum. Quia verò non possumus constituere, quòd in illo plane deserti loco in Horeb tentatus fuerit Christus, ponamus sanè à Bethabara ad locum tentationis in deserto iter decem dierum circiter. Et historia dicit, con-

summatis 40. diebus postea tentatorem accessisse. Forsan etiam tentationes illæ, quæ describuntur, de ductione ad montem excelsum & ad pinnaculum templi, uno die non fuerunt confectæ: & postea etiam accesserunt angeli ministrantes ipsi. Sint ergo aliquot dies profectiois in desertum, 40. dies Jejunii, aliquot dies tentationis, & rursus aliquot dies reditus ad Jordanem ex deserto. Qui dies collecti ad minimum 60. dierum summam conficiunt.

Post 60. igitur dies (circiter) à Baptismo, rediit ex deserto ad Joannem Baptistam. Et rursus Joan. 1. colliguntur quatuor dies, quibus apud Baptistam conservatus est. Profectio autem à Bethabara in Galilæam tribuantur tres dies. Et tertio die post reditum Christi in Galilæam factæ sunt nuptiæ in Cana, Joan. 2. v. 1.

Hi numeri ex historia Evangelii ita colliguntur, ut nihil, vel parum admodum habeant controversiæ vel ambiguitatis. Collegimus autem ad 70. ferè dies, à Baptismo Christi usque ad primum miraculum in Cana editum. Post illud verò miraculum usque ad Pascha, scribit Joannes, Christum tantum in Cana & Capernaum fuisse. Restat ergo supputatio, quamdiu manserit in Cana, & quamdiu hæserit in Capernaum, priusquam ad festum Paschatis proficisceretur.

Nullus verò numerus dierum ponitur ab Evangelista. Conjecturis itaque verisimilibus utendum erit. Et sanè Jud. 14. v. 17. convivium nuptiale durat usque ad 7. diem. Sed hoc paupertas Sponsi in Cana non admittit. Verisimile tamen est, Christum per aliquot dies in Cana apud cognatos mansisse. Ab illis enim postea deducitur Capernaum, Joan. 2. v. 12. Ponamus ergo Christum quatuordecim illos dies, quos Epiphanius falso tribuit commorationi in Nazareth, mansisse apud cognatos in Cana. Profectus verò Capernaum, mansit ibi dies non multos, inquit Joan. cap. 2. v. 12. Extat autem similis phrasis Act. 1. v. 5. Baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Factum autem est illud decimo die post ascensionem Christi. Ponantur ergo decem etiam dies, quibus in Capernaum fuit. Postea cum prope esset Pascha, ascendit Hierosolymam. Et Joan. 12. v. 1. post resuscitatum Lazarum, sex diebus ante Pascha, ascendit Hierosolymam. Cui profectio, ut & illi, quæ à Cana in Capernaum transiit, itidem aliquot dies erunt tribuendi. Ita ut hæc conjectura colligamus dies ad minimum 40. aut plures, à nuptiis in Cana usque ad Pascha. Quòd si ergo illi numeri, videlicet 70. dies, tentationi tributi, & 40. dies à nuptiis in Cana ad Pascha simul jungantur, supputatio tempus Baptismi Christi deducet ad principium Decembris vel ad finem Novembris, prout festum Paschatis ponitur, vel usitato modo ad 25. Martii, vel sicut Epiphanius dicit, se *ἐκ πολλῆς ἀκριβείας* deprehendisse, ad 19. Martii. Et hæc ratio non multum ab Epiphanius calculo. Supputatio etiam quæ ex dimidia septimana Danielis sumitur, à Septembri 40. dies, quibus post resurrectionem de regno DEI cum Apostolis locutus est,

est, subtrahantur, ad idem ferme tempus redu-
citur.

Et hanc sententiam de initio ministerii Christi eo libentius amplector, quia cum reliquis historiis initia & termini annorum secundum hoc tempus deprehendi possunt: Ut Joan. 4. v. 35. cum Christus ex Judæa per Samariam proficiscitur in Galilæam, inquit: adhuc quatuor menses sunt, & messis erit. Ostendimus autem in precedenti capite, illud accidisse in Decembri. Ergo factò initio supputationis annorum ministerii Christi à Baptismo, erit finis primi anni, & initium secundi, quando post captivitatem Baptistæ Christus per Samariam proficiscitur Joan. 4. Menses autem, ut jam dictum est, ferme conveniunt. Ita Joannis 10. v. 22. fit mentio festi Encaniorum, quod sub finem Novembris celebratum fuisse, certum est. Si ergo collocemus tempus Baptismi Christi circa initium Decembris, vel sub finem Novembris, erit in illo festo Encaniorum Joh. 10. finis tertii anni ministerii Christi, & initium quarti. Et hæc distributio pulcherrimè convenit cum initio ministerii Christi, & est manifesta & plana.

Quia igitur in primo, secundo & quarto anno ministerii Christi, ex certis Evangelistæ Joannis notationibus, distributionem illam sumtam à tempore Baptismi Christi tenemus, tantum de tertio anno quæstio restat. Quare investigandum est, an inveniri possit, ubi constituendum sit initium tertii anni. Ita enim totum tempus ministerii Christi, certis annorum initiis distributum haberemus. Ostendimus autem, quomodo Joannes in reliquis annis notationes temporum monstrat. Sed de tertio anno Joannes nihil nisi pauculas tantum historias, quæ circa festum Paschatis acciderunt, annotavit. Reliqui Evangelistæ historias quidem illius anni diligenter persecuti sunt: sed nullas tales notationes descripserunt, unde deprehendi posset, ubi ponendum sit initium tertii anni. Certis igitur notationibus in investigando initio tertii anni destituimur. Sed si negligamus hanc distributionem in historiis tertii anni, manifestum est, quòd in reliquis etiam annis magna futura sit perturbatio. Cum tamen Joannes sine dubio suis notationibus hanc distributionem ideò in quibusdam annis monstravit, ut simili ratione investigetur in aliis. Tentabimus igitur, an aliqua ratione possimus hoc, quod quaerimus, deprehendere, ut non multum aberremus.

In reliquis autem annis initium constitui-
mus in quarto mense ante Pascha: quòd si qua ratio colligere poterimus, quid in tertio anno circa Pascha acciderit, habebimus id quod quaeritur. Johannes igitur dicit miraculum de quinque panibus factum esse, cum prope esset Pascha tertii anni. Reliqui verò Evangelistæ annotant, tunc Apostolos ex prima legatione rediisse. Ita autem fuerant emissi, ut omnes civitates Israël peragrarent, Matth. 10. v. 23. Non consummabitis civitates Israël, donec veniat filius hominis. Ali-

Harm. Tom. I.

quot ergo menses tribuendi erunt huic Apostolorum legationi. Et ita ferme ad quartum mensem ante Pascha deducetur historia de emissionem Apostolorum, Matth. 10. Atqui circa illud tempus reliquorum annorum initia constituuntur. Conjectura igitur non absurda, sed quæ ad veritatem proximè accedit, initium tertii anni ministerii deprehendimus. Quòd si videbitur tempus nimis longum quatuor scilicet menses tribuere emissionem Apostolorum, priusquam ad Christum revertantur: non displicet mihi, si addatur illa historia, quæ Matth. 9. v. 37. in fine descripta est, quomodo Christus instituerit quasi generalem visitationem Synagogarum in civitatibus & castellis, & cum deprehenderet Ministerium ab illis, qui ordinariam successionem occuparunt, negligi & non rectè administrari, adjecit animum ad emittendos Apostolos. Huic enim peregrinationi Christi, per civitates & castella, aliquod & non breve tempus tribuendum est, cui si addatur tempus obitæ legationis Apostolorum, usque dum redeant circa festum Paschatis sine dubio pertinget ad quartum mensem ante Pascha. Ne igitur tempus primæ emissionis Apostolorum justò latius extendere videamur: constituemus hoc initium tertii anni ministerii Christi, quando visitationem illam, quæ prædicta fuit Jerem. 23. v. 1. Ezech. 34. v. 2. instituit; quam deinde subsecuta est missio Apostolorum. Et hæc conjectura, quia certis notationibus destituimur, candidè judicantibus sufficere potest.

Duobus igitur modis tempus ministerii Christi distribuemus. Primum, illa ratione, quam Ammonii fragmenta sequuntur: ut scilicet ordo historicarum distribuatur secundum Paschata. 1. à Baptismo Christi usque ad primum Pascha, quod Joan. 2. v. 13. describitur. 2. à primo illo Paschate usque ad secundum, cujus descriptio Joan. 5. & Luc. 6. v. 1. extat. 3. à secundo illo Paschate usque ad tertium, cujus Joan. 5. v. 4. mentio fit, 4. à tertio festo Paschatis usque ad postremum, in quo filius Dei crucifixus est. Hæc erit una ratio distributionis.

Deinde tempus illud in certos etiam annos simul distribuemus, monstrato initio & fine utriusque anni: ita ut observari possit, ad quem annum singulæ historiae pertineant. Est autem initium primi anni, cum Christus in Jordane baptizatus, Spiritu sancto unctus, & ad prædicandum missus est: & complectitur historias usque ad captivitatem Baptistæ.

Initium secundi anni est, cum post traditum Joannem, Christus per Samariam revertitur in Galilæam. Et ad illum annum pertinent historiae usque dum Christus meditatur emissionem Apostolorum.

Tertio anno initium præbent illæ historiae, quando Matth. 9. v. 35. & Marci. 6. v. 6. Christus ut visitator peragravit civitates & castella: & quia invenit oves misere dispersas, sine vera cura pastorali, idcirco postea Apostolos emittit. Complectitur autem tertius iste annus historias, usque ad festum Encaniorum, Joh. 10. v. 22.

B 3

Quar-

Quartus annus incoatur circa festum illud Encaniorum, & non absolvitur. In Paschate enim illius anni Christus crucifigitur. Petrus verò 40. dies, post resurrectionem, usque ad ascensionem, dicit etiam pertinere ad tempus ministerii Christi, Act. 1. v. 22.

Hoc itaque modo ordinem historiarum distribuemus, adjecta explicatione circumstantiarum & vocabulorum: & ita simul fontes doctrinæ monstrabimus.

CAPUT V.

Qua ratione seu methodo investigari & deprehendi possit ordo seu ἀκολουθία præcipuarum narrationum in historia Evangelica.

HACTENUS ex circumstantiis historiae Evangelicæ collegimus supputationem annorum ministerii Christi, & eorum talem distributionem ostendimus, ut probabili ratione singula historiae Evangelicæ ad certos annos referri, & verisimiliter constitui possit, quæ sint cuiusque anni acta, quod præcipuum lumen est in ordine Evangelicæ historiae investigando. Quia verò ad Harmoniam Evangelicam hoc etiam pertinet, ut singulorum annorum historiae, non tumultuaria confusione, absque ordine, ex quatuor Evangelistis permisceantur, sed ut, quoad eius fieri potest, investigetur, quæ sit ratio ἀκολουθίας (sicut Epiphanius loquitur,) hoc est, quo tenore seu ordine consequentiæ, juxta temporum & rerum gestarum seriem, historiae sibi succedere vel consequi se videantur, sicut Victor loquitur: vel sicut Augustinus inquit, quæ historiae ante quas & post quas probabili ratione collocandæ sint. Explicandum igitur est, qua methodo investigatio illa institui & qua ratione ordo ille consequentiæ deprehendi & inveniri possit. Multi enim non ex ipsius Evangelicæ historiae circumstantiis, sed ex suis, nescio quibus, imaginationibus, quarum rationes nullas exposuerunt, voluntarium seu arbitrium historiarum ordinem exegerunt & proposuerunt. Sed nos quarimus ordinem, cuius rationes, si non semper certæ & ubique manifestæ, probabiles tamen, nec absurdæ vel verò absurdæ, reddi possint. Quæ verò rationes tales sint, vel quomodo investigari possint, ne in ipsa Harmonia idem sapius repetendum sit, hoc loco regulis seu observationibus generalibus probabili simplicitate exponemus.

Antiquissimus igitur, sive Tatianus sive Ammonius, ad contextum à Matthæo servatum, ideo forsan, quod primus sit inter Evangelistas, qui Evangelicam historiam literis mandavit, reliquorum narrationes accommodandas existimavit. Alii secundum ordinem à Marco servatum, illud rectius & commodius fieri iudicaverunt. Multi verò Lucam quasi ducem ordinis elegerunt: eò quòd in præfatione dicat, se κατ' ἑξῆς scripturum. Sed Osiander

novum prorsus *αἴτιμα* præsupponit, singulos scilicet Evangelistas accuratum ordinem temporum & exactam rerum gestarum seriem in omnibus quas describunt historiis observasse. Et juxta has sanè rationes omnes, non opus est sollicita consideratione vel accurata collatione circumstantiarum ad investigandam vel reddendam rationem ordinis. Sed res ipsa ostendit, si quis mediocri attentione circumstantias observet, Evangelistas, tum in rebus ipsis explicandis & illustrandis, tum in ordine historiarum mutuas invicem operas contulisse. Manifestum enim est, quasdam historias describi, additis hujusmodi notationibus, quæ consequentiam historiarum liquidò & certò ostendunt: quasdam verò describi aliis locutionibus, quæ non certò vel necessariò ordinis consequentiam significant. Et collatio ostendit, ubi Matthæus sine certa notatione ordinis aliquid descripsit: ibi vel Marcus vel Lucas addiderunt tales circumstantias, ex quibus ordinis ratio colligi potest. Ubi verò Matthæus ordinem consequentiæ vel notavit vel servavit: ibi reliqui tales notationes sæpe non addunt, vel etiam transpositione aliquando utuntur, quod in descriptione tentationis Christi manifestum est. Sicut enim ipsi, qui posteriores fuerunt, priorum scripta legerunt: ita voluerunt suas etiam descriptiones eo modo legi, ut cum reliquis conferrentur, atque ex mutua illa collatione, & res ipsæ & rerum series illustrarentur. Et multa apud Evangelistas vel per anticipationem, vel per recapitulationem, (sicut veteres loquuntur) recitari manifestius est, quàm ut negari possit. Ita Matthæus conjungit historias de vocatione & de emissionem Apostolorum, quas diversis & distinctis temporibus accidisse certum est. Lucas historiam de captivitate Baptistæ recitat capite. 3. v. 19. longè antequàm accideret. Marcus historias de captivitate & decollatione Baptistæ conjungit, quas non eodem tempore accidisse certum est: Sicut Harmonia hoc ostendet. Lucas etiam scribit, parentes Christi perfectis omnibus, quæ in circumcisione & purificatione secundum legem fieri debebant, reversos Nazareth, & ibi habitasse: ubi certè necessariò interponenda sunt ea, quæ de fuga in

in Ægyptum scribuntur, Matth. 2. v. 13. Ita Lucas dicit, Christum à tentatione rediisse in Galilæam, & cœpisse prædicare: ubi certè multa ex Johanne interponenda sunt, sicut in Harmonia ostendemus.

Ex Matthæi igitur contextu non posse per omnia colligi, quis sit ordo consequentiæ temporum & rerum gestarum in historiis vel apud ipsum Matthæum, vel apud reliquos Evangelistas, inde manifestum est, quod apud Matthæum usque ad 14. caput, pleraque sine manifesta notatione ordinis describuntur. Apud Marcum verò & Lucam, in illis historiis per circumstantias ordinem aliquo modo notari, postea in Harmonia manifestum erit. Ad Marci quidem contextum talis accommodatio ordinis facilius fieret, id enim Harmonia postea ostendet: sed tamen non præcisè & per omnia. Ita Lucas in plerisque cum Marco in ordine historiarum convenit: quasdam tamen ita ponit, ut notatio & consequentiæ ordinis ex Marco & Matthæo petenda sit: sicut postea exemplis ostendemus. Adverbium enim *καθ' ἑξῆς* in præfatione Luca non significat præcisè exactum ordinem in omnibus: sed quod altius ordiri, & historiam ab initio repetere ac deinceps continua narratione distinctè & distributè, quasi per gradus, reliqua velit addere.

Quando verò præsumitur, nullum Evangelistam aliquid extra ordinem, vel per anticipationem, vel per recapitulationem narrasse, sed singulos ubique & in omnibus servasse, & ordinem temporum, & seriem historiarum, videtur sanè compendiosa esse continuas. Sed diligens consideratio & collatio circumstantiarum sæpe diversum clamitant. Ratio etiam profectionum seu peregrinationum Christi, & reliquæ circumstantiæ sæpe hoc non admittunt: quæ postea in Harmonia patebunt. Accedit & hoc, cum Evangelistæ in plerisque easdem historias describere, & illas sua repetitione confirmare & illustrare voluerint, Osiandri ratio cogit illa, quæ res ipsa testatur, & tota antiquitas semper sensit, eadem esse, distinguere & diversa facere. Non dubium sanè est, easdem conciones sæpius à Christo repetitas, & varia miracula, quæ similia fuerunt, sæpius ab ipso facta. Sed cum certum etiam hoc sit, non omnia esse diversa, quæ à diversis Evangelistis descripta sunt: sed plerumque eadem variatis paulisper circumstantiis, à diversis scriptoribus esse repetita: non igitur nisi exigente quasi necessitate, talium circumstantiarum, quæ ita certæ & manifestæ sint, ut ad diversitatem non tam persuadere quam cogere videantur, illa, quæ res ipsa testatur eadem esse, diversa faciendæ sunt. Alàs enim collatio circumstantiarum, quæ in earundem historiarum descriptione apud diversos Evangelistas extant, quæ lux est historiæ Evangelicæ, perit; quando verò manifestæ circumstantiæ diversitatem ostendunt, apparentia similitudinis non debet confusionem & ordinis & historia-

rum facere (sicut quidam ex diversis historiis Reguli, Johan. 4. v. 46. & Centurionis, Matth. 8. v. 5. eandem facere voluerunt: Et ejectionem vendentium ex templo, quæ Johan. 2. v. 14. describitur, eandem esse cum ea, quam Matthæus capite 21. v. 12. notavit) id quod præcipuè in illis historiis, quæ Lucas à cap. 11. usque ad 17. describit, factum est. Hanc mediam viam iudico esse simplicissimam & tutissimam.

Hactenus de variis rationibus contexendi historiæ Evangelicæ diximus, quas non per omnia in hac nostra Harmonia sequi certis de causis constitimus. Quædam tamen, quæ per viam collationis aliquid lucis huic argumento afferre poterunt, postea inde assumemus.

Est autem alia usitatio & receptior ratio, quam fragmenta illa, quæ nos Theophilo tribuimus, servant, quam Epiphanius etiam sequitur & Augustinus & omnes ferme qui ex veteribus post Augustinum, usque ad Gersonem, de hoc argumento scripserunt: ut scilicet ordo Harmoniæ Evangelicæ ad nullius Evangelistæ solius contextum præcisè alligetur; sed ut tum ex diligenti consideratione & collatione circumstantiarum, quæ apud omnes & singulos Evangelistas in descriptione historiarum extant, tum ex toto corpore historiæ Evangelicæ ordo consequentiæ investigetur & colligatur, ut ita in notatione ordinis omnes Evangelistas mutuas inter se operas tradere appareat. Quomodo verò illa in investigatio instituenda sit, per generales quasdam regulas seu observationes hoc loco breviter ostendemus: ipsa verò tractatio Harmoniæ plures similes postea suggeret.

Et primo observetur, quod ex regulis Tironii Augustinus, & ipsum secutus Gerson, tradunt, triplicem esse ordinem in narrationibus, non apud Evangelistas tantum, verum etiam in aliis historiis. Vel enim suo loco & ordine historias describunt, sicut & quando acciderunt, hoc est, quando in historiis observatur ordo temporum ac series rerum gestarum, vel alia quadam occasione historias extra suum locum & ordinem recensent, idque ita, ut vel id, quod tempore posterius factum est, narretur alio loco, quasi prius gestum sit: hoc est, narratur quasi factum, quod tamen eo tempore seu ordine sicut narratur, factum nondum fuerit, sed postea. Sicut Luc. 3. v. 19. narratur captivitas Baptistæ, priusquam Christus à Johanne baptizetur. Augustinus hanc rationem ex Tironio vocat Anticipationem. Vel ut illud, quod ordinem temporum & rei gestæ prius factum fuit, occasione aliqua describatur, inter illas historias, quæ postea acciderunt. Gerson vocat rememorationem; sed Augustinus vocat recapitulationem, quam Tironius ita describit: quando narrantur quædam, quasi sequantur in ordine temporis vel rerum continuatione, cum tamen ad priora, quæ prætermissa fuerant, pertineant. Ut autem colligi possit, quam rationem Evangelistæ in præcipuis locis sequantur, particula & regulæ quædam observandæ sunt.

Secundò igitur notæ debent esse formulæ, quæ non certæ vel necessariae notationes ordinis seu consequentiæ, sed generales tantum sunt connexiones narrationis. Quales sunt hæc: *in illo tempore, in diebus illis.* Et, *factum est, cum turba irrueret: cum esset orans: cum iret, &c.* *ἰδὼν δὲ: ἐγρετο δὲ: ambulans verò circa mare: videns autem turbas: factum est autem cum turba immineret.* Hoc est, cum aliquando ambularet, videret, à turba premeretur. Talis etiam plerumque est & hæc connexio: *καὶ ἐλθὼν: & veniens in domum Petri: & circumivit civitates: & perambulavit Galileam: & advocans duodecim: & cum ascenderet Hierosolimam, dixit: & cum appropinquarent Hierosolimam.* Tales generales connexiones sunt & hæc: *versantibus ipsis in Galilea: venientibus ipsis in Capernaum: συνιόντων δὲ: cum autem turba plurima convenerit: factum est, cum esset in quadam civitate: in una dierum: die quodam, & similes.*

Tertiò notandæ sunt precipuæ illæ formulæ, quibus series, continuatio, seu consequentia rerum gestarum, & ordo temporum designatur. Ut: *Cum descendisset de monte, ecce venit: transiens inde vidit: venit adhuc loquente ipso: hæc ipso loquente, venit quidam: cum illi exirent, obtulerunt ei: & factum, cum compleisset hæc mandata: illis abeuntibus cepit dicere: finitis illis parabolis, venit: factum est, cum finisset hos sermones: tunc dimissis turbis accesserunt: cum hæc audisset, discessit: & exiens inde, venit: in illa die: in illa hora: & statim: Item, cum exiret ex templo, dixit: cum discederet & veniret ad turbas: hæc dicens exiit, hæc dixit & oculos sustulit: καὶ τὸ αὐτὸ post hoc.* Ita quando expressè nominantur dies: *altera die: tertia die: post biduum: post dies octo: ante sex dies: vespere: diluculo.* Apud Marcum particula *καὶ* plerumq; continuat ordinem historiarum. Ita etiam quando per verba præsentis temporis facit continuationem; & *ἔρχεται, venit quidam: & veniunt cognati: & congregati Apostoli ad ipsum:* Item, Verbum respondendi, quando non præcedit quæstio, notat continuationem historiarum. Apud Lucam talis continuationis particula est: *factum est, ἐν τῷ ἔχειν: καὶ δεῦν τῇ ἡμέρᾳ.*

Quartò. Quædam particula alicubi ordinem continuum, alicubi interpolatum, interjectis scilicet aliis, denotant, quod ex aliis circumstantiis colligendum est, ut *μετὰ ταῦτα* Johan. 3. v. 22. & Luc. 5. v. 27. designat continuum ordinem, sed Joan. 5. v. 1. & 6. v. 1. & 7. v. 1. valdè multa interponenda sunt. Ita particula *ἰδὼν καὶ τότε, ecce & tunc,* aliquando continuum ordinem significant, aliquando non: id quod aliæ circumstantiæ ostendunt: item, sed rarò accidit cum particulis *καὶ* & *δε.* Usus harum notationum de huiusmodi particulis postea in ipsa Harmonia patebit.

Quintò. Quando Evangelistæ, qui eandem historiam describunt, in ordine seu serie secundum antecedentia & sequentia omnes consentiunt, & notatione quadam circumstantiarum, ordinem temporum & seriem rerum

gestarum servatam, indicant; sicut in miraculo de quinque panibus & similibus, tunc ratio ordinis expedita & plana est.

Sextò. Quando duo Evangelistæ in consequentia quarundam historiarum consentiunt, & tertius alium contextum habet, duorum suffragium tanquam ostensio & confirmatio ordinis præferendum, nisi tertius certiores & manifestiores servati ordinis, in circumstantiis illarum historiarum, habet notationes. Ita Matthæus & Marcus in vocatione quatuor Apostolorum consentiunt: Lucas verò alium habet contextum. Item, sæpius Marcus & Lucas consentiunt: unde de ordine in Matthæi historiis rectè constituitur. Contra verò in Jairi historia Marcus & Lucas consentiunt; Matthæus verò certa notatione ostendit ejus ordinem.

Septimò. Quando post narratam aliquam historiam unus Evangelista hanc, alius aliam subjungit, investigandum est, quis inter eos servet ordinem, quis non. Id quod hoc modo deprehendi potest. Quando unus Evangelista, historiam aliquam per connexiones generales, sine expressa seu manifesta notatione ordinis seu consequentiæ describit, diligenter inquirendum est, anñ alius Evangelista tales circumstantias seu notationes sive temporum sive locorum, sive antecedentium sive consequentium in sua descriptione addat, unde, de ordine temporum & serie rerum gestarum constitui possit. Ut post servum Centurionis, Matthæus subjungit socrum Petri: Lucas verò filium viduæ. Sed Lucas utitur particula, qua series rerum gestarum notatur. Matthæus verò, cap. 8. v. 14. generali formula connexionis subjungit sanationem socrus Petri; & Marcus capite 1. v. 29. addit notationem, quòd statim post vocationem Petri factum hoc sit.

Octavò. Quando in uno Evangelista post aliquam historiam subjungitur alia, videndum est, num vel per anticipationem, vel per recapitulationem facta sit transpositio: ut Luc. 3. v. 19. de Baptiste captivitate, & Matth. 8. v. 14. de socru Petri. Et videndum est, quis Evangelistarum, & quibus circumstantiis ordinem & locum designet, ubi sunt reponendæ tales historiarum.

Nonò. Quando in contextu unius alicujus Evangelistæ, una historia sequitur post aliam, & sequentem posteriorem esse certum est. Ex collatione diligenter considerandum est, sintnè inter hanc præcedentem & illam sequentem ex reliquis Evangelistis aliqua aliæ historiæ interponendæ: id quod diligens consideratio ostendet. Ut apud Marcum c. 3. v. 20. post electionem Apostolorum, priusquam subjungatur, quod ibi proximè sequitur de reditu Christi in domum, & de cognatis, inferenda sunt ex Luca, conncio: servus Centurionis: filius viduæ: legatio Baptiste: peccatrix. Et Luc. 2. v. 39. inter purificationem & reditum in Nazareth, interponenda sunt ex Matthæo, infanticidium: fuga in Ægyptum.

Decimò

Decimò. Quando historiam aliquam apud unum Evangelistam invenimus, ordine quodam præcedentibus subjunctam, & in reliquis Evangelistis non occurrat, quod notatione aliqua circumstantiarum ostendatur inferendum aut præponendum, tanquam quod ante illud acciderit, tunc rectè & tutò ordinem illum vel unius Evangelistæ retinemus & sequimur.

Undecimò. Quando vero notationes quædam vel circumstantiæ apud alios Evangelistas obstant, quò minus illa historia quæ apud unum aliquem sequitur, possit præcedentibus ratione ordinis subungi, videndum est, possitne colligi, an tanquam prius facta, sit transponenda, an verò quædam ex aliis Evangelistis sit præponenda, vel interferenda, & ex quibus notationibus & apud quem Evangelistam hoc colligatur.

Duodecimò. Quando historiam aliquam habeo, de ejus ordine quæro, & diligenter collatis omnibus circumstantiis video, illam non posse collocari ante præcedentia, nec etiam post alia, quæ vel ab eodem Evangelista, vel à reliquis descripta sunt, inde rectè colligo, quo loco & ordine sit ponenda. Ut resuscitatio Lazari non potest poni ante migrationem Christi in Galilæa, Matth. 19. v. 1. vel Luc. 9. v. 51. Accidit enim circa Pascha, nec potest poni post ascensum Jerosolymitanum Matth. 20. v. 1. Joannis enim illum ascensum post resuscitationem Lazari describit. Inde ergo, quo loco & ordine ponenda sit, rectè colligitur.

Decimotertio. Quando video, historiam aliquam non posse præcedentibus, eo ordine, sicut descripta est, subungi, sed ante illam ponendam esse aliã, & ante hanc adhuc aliam. In illa inquisitione tam diu progrediendum est, donec nihil amplius, quod proponendum seu interferendum sit, occurrat. Ita enim locum & ordinem deprehensum esse, colligitur. Hæc postea in exemplis plana erunt.

Decimoquarto. Ex duorum consensu, vel ex unius certis notationibus, constitui potest historiam aliquam apud tertium non suo loco positam.

Decimoquinto. Aliquando, quæ de iisdem personis narratur, in narratione conjunguntur: quæ tamen non simul aut eodem, sed diverso tempore acciderunt. Videndū igitur est, quomodo distingui, & quodque suo loco & ordine reponi possit. Ut Matth. 10. v. 1. electio & emissio Apostolorū, quasi simul eodem tempore facta, describuntur, quas tamen distinctas historias esse, & diversis temporibus factas, ex Marco & Luca constat. Ita Matthæus & Marcus historiam de captivitate & decollatione Baptistæ conjungunt: sed captivitatem longè antè præcessisse, Matthæus indicat, cap. 4. v. 12. & Marc. cap. 1. v. 14. Circa quod verò tempus acciderit, ex col-

latione cum quarto capite Joannis colligi potest. Eodem modo veteres sentiunt, vocationem & convivium Matthæi non simul eodem tempore facta, licet simul describantur: Sic postea in Harmonia monebimus.

Decimosexto. Quando similia describuntur, videndum est, an præcipuæ circumstantiæ conveniant; tunc enim eadem esse judicantur. Quando verò diversa sunt loca, tempora, personæ, occasiones & fines, tunc propter similitudinem, quæ diversis temporibus repetita sunt, non sunt confundenda, sed distinguenda. Hoc modo de multis historiis, quæ à 9. capite Lucæ usque ad 18. describuntur, & cum præcedentibus magnam similitudinem habent, judicium rectè formatur.

Decimoseptimò. Illa etiam consideratio multa illustrat, quando ratio peregrinationum, secessionum, & commemorationum Christi in certis locis, item, quando tempus interjectum, vel longum vel breve, sive patitur, sive non patitur, historias hoc vel illo modo disponi.

Postremò: In quibusdam locis ratio ordinis certior & manifestior est; in quibusdam probabilis tantum; in quibusdam verò eruditorum sententiæ variant: quando scilicet vel manifestis notationibus ordinis destituimur: vel quando circumstantiæ & in hanc & in alteram etiam partem rationes subministrare videntur. Illud discrimen in Harmonia distinctè notabimus, & expositis præcipuis rationibus candido lectori judicium permittemus.

Hasce generales sive regulas sive commutationes mediocri diligentia in ipsa tractatione observavi, quas nuda ac simplici recitatione hoc loco exponere volui, ut postea in investiganda & reddenda ratione viam præmonstrarent planiorem, & ne in ipsa Harmonia disputationes de generalibus observationibus vel intempestive vel cum tædio sæpius reperendæ sint: sed ut ibi generalia eo commodius ad specialem usum accommodentur. Et lectori existimo non ingrati fore generalem hanc expositionem talium regularum, quibus adjutus, rationem ordinis in Harmonia cum jucunda quadam delectatione facilius poterit intelligere & considerare, atque inter variantes de ordine sententiæ judicium suum eo rectius informatum interponere. Ipsa verò accommodatio harum regularum in Harmonia tales observationes plures & magis speciales submonstrabit.



CAPUT VI.

Generalis delineatio terræ sanctæ ostendens in genere divisionem & situm præcipuarum regionum, seu partem ejus terræ, quam Christus ministerio suo peragravit.



uia ad Harmoniæ nostræ rationem pertinet etiam observatio peregrinationum Christi, quo scilicet ordine totam Palæstinam ministerio suo peragravit, & singulas ejus regiones doctrina ac miraculis impleverit: quæ fuerint cujusque anni peregrinationes & in quibus regionis partibus, quando ad fines gentium, præludens universali gentium vocationi, declinavit: quæ conciones, quæ miracula, in quibus Palæstinæ regionibus facta sint: necessario inter prolegomena quædam de divisione, de situ præcipuarum regionum totius terræ, quæ vel Palæstina, vel generali appellatione Judæa appellatur dicenda sunt: Ad quæ, cum ad ipsam Harmoniam perventum fuerit, brevitatis seu compendii gratia nos referre possimus.

Non autem instituiam hoc loco integram hujus argumenti explicationem, quam hoc modo & ordine rectè institui posse animadverti: si limites, distributio, regiones, & loca præcipua totius Palæstinæ describantur & explicentur. Primò juxta illas descriptiones, quæ in Mose & Josua extant. Secundò; Sicut in Prophetis & historiis Regum limitum extensio, divisionis mutatio, appellationum in regionibus & locis variatio, novarum civitatum accessio describitur. 3. Qualis fuerit Palæstina ratio post reditum populi ex captivitate Babylonica, cujus Chorographiæ descriptio ex historiis Esdræ, Nehemiæ & Machabæorum, additis etiam Apocryphis Tobia & Judith, colligi posset. 4. Qualis Chorographia ex historia Christi & Apostolorum colligatur. 5. Qualem Chorographiæ rationem Josephus passim in suis libris, qualis scilicet sua ætate ante totius terræ vestigationem fuerit, describat. 6. Quomodo adhuc conveniant, quæ Strabo, Plinius, & Ptolemæus de Palæstina annotarunt. Et postremo qualem Chorographiam Palæstinæ Hieronymus suo tempore in Palæstina invenit; & qualem nunc describant illi, qui proximo seculis regionem illam peragraverunt & perlustrarunt. Hoc modo & ordine optatim, aliquem ex Eruditis explicationem descriptionis terræ sanctæ suscipere, adjunctis semper distinctis, sicut descriptionibus, ita & tabulis, quæ inter se conferri possent, ut eò plus lucis huic argumento accederet. Sed nobis ad instituti nostri rationem sufficit generalis quædam, nec nimis exacta aut accurata delineatio hujus terræ, ut lector ejus ideam seu σύνοψιν, etiam sine tabulis geographicis mente ac animo semper circumferre, & in lectione historiæ Evangelicæ memoriter quasi in conspectum sibi proponere possit longitudinem, latitudinem, divisiones, & præcipuas regiones illius terræ, quam Christus ministerio suo peragravit: ut agno-

scere & distinguere possit, quæ, in quibus locis, & quo ordine profectionum contigerint. De præcipuis igitur Palæstinæ regionibus, & earum partibus generaliter quædam annotabim⁹. De specialibus vero locis, in Harmonia dicemus.

Conveniunt autem proforsus Josephi generales descriptiones, cum iis quæ in historia Evangelica notata sunt: ideò illa conjungemus, ut inde imaginatio situs & divisionis terræ sanctæ, qualis tempore Christi fuit, concipi possit. Mosis enim tempore terræ promissæ terminus Orientalis fuit ipse Jordanis. Sed postea etiam trans Jordanem regiones regno adjunctæ sunt. Primò omnium igitur termini seu limites terræ illius ad mundi cardines relati animo concipiuntur.

Et licet inclinatio quædam sit angulorum inter occasum, Septentrionem, & Orientem: nos tamen crassius, sive non nimium exactè, *ἐν πλάτει* situm ejus animo ita concipiemus. Ab Occidente tota Palæstina terminatur, illa parte maris Mediterranei, quam historici vocant mare Syriacum: Scriptura mare magnum appellat. De maritima enim Phœnicia parte postea dicemus: nunc terminos in genere, memoriæ gratiâ, ita constituimus. A Septentrione terminatur & quasi clauditur montibus Libano & Antilibano. Post quos sita est Syria. A Libano verò tanquam parte Septentrionali, declinando versus Orientem, montes ultra Jordanem, perpetui quasi sunt & fermè contigui, qui à parte Orientali terram sanctam, qualis tempore Christi fuit, terminant, & quasi claudunt. Et à Libano Septentrionali incoando versus Orientem, sunt primum montes Hermonim: deinde Trachoni montes: post quos sunt montes Gilead: & ultra hos montes Orientem versus, sita est Cælesyria. Post montes Gilead in parte Orientali, usque ad terminum Palæstinæ Meridionalem, sunt montes Habarim, ultra quos Orientem versus, sita est Arabia, quæ deserta vocatur. A Meridie verò Palæstina terminatur Idumæa: & post illam, meridiem versus, Arabia, quæ ab urbe Metropolitana, cui Petra nomen est, appellatur Petra: postquam, versus meridiem, est desertum magnum & ingressus in Ægyptum.

Ita ergo situm terræ sanctæ possum animo concipere ac mente memoriter circumferre, quòd ab Occidente terminatur seu clauditur mari magno: à Septentrione monte Libano, post quem Syria sita est. Ab Oriente sunt montes perpetui, à Libano incipientes, primò montes Hermonim, post Trachoni, deinde Gilead, & ultimò montes Habarim, qui per totam partem Orientalem usq; ad terminum Meridionalem extenduntur, & terminant seu claudunt ab Oriente terram sanctam, atq; habent post se Cælesyriam & Arabiam desertam. A Meridie verò Palæstina termi-

terminatur Arabia, quæ Petraa vocatur. Idumæa enim Palæstinæ annumeratur: quam & David regno adjecit, & Herodis posteritas possedit: licet propriè non pertineat ad terram sanctam. Et hæc de terminis Palæstinæ.

Longitudo verò terræ sanctæ, sumitur à Septentrione versus meridiem: hoc est à fontibus Jordanis sive à Libano usque ad Beerseba, sicut scriptura loquitur: vel, sicut Strabo definit, usque ad Gazam in finibus Arabiæ Petrææ, prope ingressum in Ægyptum, & numerantur in Longitudine centum sexaginta millia passuum, quæ faciunt milliaria germanica 40. Latitudo sumitur ab Occidente in Orientem: hoc est, à mari Magno usque ad Trachonos montes, & numerantur sexaginta millia passuum: quæ faciunt milliaria germanica 15.

Porro totam illam terram, à Septentrione in meridiem hoc est per longum, dividit fluvius Jordanis cum lacubus suis. Non autem in partes prorsus æquales dividit. Major enim seu latior est illa pars quæ sita est inter mare Magnum & inter Iordanem: aliquantò verò minor seu angustior est illa pars, quæ relinquitur inter Iordanem & montes termini Orientalis. Ac ponamus sanè, partem illam inter Mare & Iordanem in latitudine habere milliaria germanica novem: alterius igitur partis trans Iordanem latitudo erit sex milliaria. Et partes illas terræ sanctæ, quas hoc modo Jordanis dividit, Scriptura respectu Jordanis distinctis appellationibus discernit. Illam enim partem, quæ inter Iordanem & montes Orientales sita est, Scriptura respectu eorum, qui Iordanem transgressi terram Canaan occuparunt, vocat trans Iordanem. Ita Deut. 1. v. 1. Moyses qui Iordanem nunquam transgressus est, dicitur locutus in solitudine trans Iordanem. Et regnum Basan & Gilead dicitur trans Iordanem fuisse, Deut. 3. v. 8. Iudic. 5. v. 17. Ita duæ Tribus & dimidia possessionem acceperunt trans Iordanem ad Solis ortum, Jos. 14. v. 3. Et hoc modo historia Evangelica, ubique fermè, *πέραν τῆς ἰορδάνης*, vel *τὸ πέραν*, vocat illam terræ partem, quæ in ripa Jordanis Orientalis sita est. Hoc ergo modo illa terræ pars, quæ inter mare magnum, & inter occidentum Jordanis litus sita est, erit cis, seu citra Iordanem. Altera verò erit ultra seu trans Iordanem. Aliquando tamen quando illi loquuntur, qui in Orientali parte Jordanis versantur, hic respectus invertitur. Ita Numer. 32. v. 19. Rubenitæ & Gaditæ dicunt: nihil quarimus nobis trans Iordanem, quia jam habemus possessionem nostram in plaga Orientali. Et Numeror. 22. v. 1. Iericho hoc respectu dicitur sita trans Iordanem. Atque ita etiam Marc. 5. v. 21. *τὸ πέραν* usurparat.

Hoc etiam respectu Plinius lib. 6. citeriorem Iudæam videtur appellare partem terræ in ripa Jordanis Orientali.

His ita distributis, facile jam erit, totius sanctæ terræ divisionem ordine quodam distributam, animo complecti & mente circumferre, ut non semper opus sit, in lectione Evangelistarum, ad tabulas recurrere.

Sumo itaque illam partem, quæ inter mare magnum & Iordanem sita est, & incipiendo à parte meridionali partes ita distribuo. Primum occurrit Idumæa duplex, exterior versus mare, interior versus Orientem. Progrediendo verò in longitudine versus Septentrionem sequitur Judæa, cujus appellatione aliquando duæ Tribus, Juda & Benjamin, comprehenduntur, addita etiam tribu Simeon & tribu Dan: aliquando verò separatim seu distinctè nominatur Judæa & Jerusalem, & tunc Judæa, quam Josephus superiore appellat, complectitur tribum Juda & Simeon, cujus sortem in monte quodam Idumææ cecidisse, Josephus refert. Alii addunt in medio tribus Juda fuisse. Ad Hierosolymitanos verò ita refertur tribus Benjamin: terra Iericho versus Iordanem: versus mare verò circa Ioppe comprehenditur etiam tribus Dan. Post Judæam complectentem quatuor illas tribus, pergenti in longitudine versus Septentrionem, occurrit Samaria: quæ complectitur tribum Ephraim, & dimidiam Manassis, & longè minor est Iudæa & Galilæa. Post Samariam sequitur Galilæa, quæ duplex est, inferior, quæ Samariæ contigua est, & complectitur in confinio Samariæ, à Iordane usque ad Carmelum, tribum Isaschar, deinde tribum Zabulon, quæ à lacu Genezareth pertingit usque ad mare magnum Sidonis, Gen. 49. v. 13. Superior Galilæa, quæ ideò gentium Galilæa appellatur, quia pertingit usque ad fines gentium, Tyri scilicet & Sidonis, & usque ad terminum terræ septentrionalem: & quia illa parte Galilæa multi gentiles intermixti erant, 3. Reg. 9. v. 11. Complectitur autem Galilæa superior, tribum Aser versus mare à Ptolomaide ad Sidonem, & tribum Nephtalim versus Iordanem. Atque ita ordine inverso, si incipiam à parte terræ septentrionali, primum occurrit Galilæa superior: deinde Galilæa inferior: post Samariam, inde Iudæa, ultimò Idumæa ad meridiem.

Illam verò divisio terræ ut memoriæ comprehendi possit, multum adjuvatur consideratione seu respectu Jordanis. In parte enim septentrionali ad radices Libani, ex duobus fontibus Ior & Dan oritur Jordanis, qui locus Paneum olim fuit appellatus, & Paneas civitas ibi ædificata, quæ postea à Philippo Tetrarcha in honorem Cæsaris ampliata, Cæsarea Philippi appellata est, hodie vocatur Belinas.

Progressus autem Jordanis ex sua origine per centum stadia (quidam ponunt stadia 144) transit lacum quendam, seu paludem potius, quæ æstivis caloribus sæpe exiccatur, quam Samochonitidem Josephus appellat, ac longitudinem ejus alii ponunt stadia 60. quidam existimant, hanc paludem appellari aquas Merom, Iosua 11. v. 7. Et circa illam partem Jordanis post hunc locum fermè terminatur Galilæa superior. Inde verò Jordanis emensus centum viginti alia stadia, (tantum enim à lacu Samochonitide oppidum Iulias, ubi stagnum Genezareth incipit, abesse scribitur) per medium stagnum seu mare Genezareth transit. Et inferior Galilæa, respectu Jordanis, incipit post lacum Samoch-

mochoinitiden, & post mare Genezareth terminatur. Scribit autem Josephus, longitudinem stagni Genezareth esse centum stadiorum, latitudinem verò quadraginta. Plinius longitudinem ponit stadiorum 128. latitudinem 48. Alii longitudinem ponunt 154. stadia, latitudinem 40. Hæc stadia, si conjungantur, efficiunt à fontibus Jordanis, usque ad loca post stagnum Genezareth, ubi Galilæa terminatur, circiter sexaginta millia passuum: hoc est, milliaria nostra germanica fermè quindecim. Post stagnum verò Genezareth Jordanis variis ambagibus fluit, & in ripa occidentali habet primum Samariam: postea tribum Judææ & Samariæ, ubi sita est Jerusalem & Jericho: tandem è regione tribus Juda & Idumææ lacu Asphaltide, qui mare mortuum seu Sodomiticum vocatur, absorbetur, qui lacus in longitudine habet stadia 580. in latitudine 100. stadia.

Situm igitur præcipuarum partium seu regionum terræ sanctæ, intra mare magnum & Jordanem, ita mente possum concipere & circumferre. Primò sicut ordine se contingunt & sequuntur: Primum Idumæa: deinde Judæa: post Samaria: hanc sequitur Galilæa inferior: & ultimò Galilæa superior, si à meridie versus Septentrionem pergam. Aut vice versa, si à Septentrione incoëm. Secundò, respectu Jordanis possum, divisionem illius partis terræ per imaginationem memoria ita infingere: quòd superior Galilæa adjacet Jordani, incipiendo à fontibus ipsius usque post lacum Samochonitiden: inferior verò Galilæa continuo post Samochonitim sequitur, ad ripas Jordanis occidentales, donec veniens ad lacum Genezareth, cujus ripas etiam obtinet. Postea ad sequentes Jordanis ripas meridiem versus pergendo sita est Samaria: deinde Judæa: tribus verò Juda & Idumæa ad ripas Asphaltidis pertingit. Josephus de bello Jud. libr. 3. cap. 2. tertiam rationem addid: quod scilicet versus mare magnum ad Occidentem, Galilæa superior Tyrriorum sinibus; inferior verò urbe Ptolemaide, & monte Carmelo terminatur: versus Septentrionem Libano: versus meridiem Samaria: versus Orientem verò Jordane sicut jam dictum est. Samariæ & Judææ limites Josephus ibidem vicis mediterraneis distinguit, quorum situs & ratio jam ignoratur. Sed libro Antiquit. 5. cap. 3. clarius aliquantò Samariæ, versus mare magnum, terminum tribuit urbem Doram, cui additur etiam Cæsarea Stratonis: Judæam verò, versus mare magnum, è regione situs sui, dicit habere civitates Joppen, Alcalonem, & Gazam. Et hæcenus de generalibus partibus seu regionibus terræ sanctæ, quæ inter mare Magnum & Jordanem sita est.

Porro, si ex illa parte terræ Jordanem transeas, diximus antea terram trans Jordanem ripa Jordanis Orientali: & continuis fermè montibus Orientem versus terminari. Et quia pars illa Ebrais vocatur בעבר דעביר Deut. 1. v. 1. quod Græci reddiderunt τὸ πέραν. Inde Evangelica historia, totum illum tractum à lacu Asphaltide usque ad Cæsaream Philippi five fontes Jordanis, vocat τὸ

πέραν. Sicut Strabo libro undecimo & 16. appellat τὰ πέραν τῆς εὐφράτης: videtur autem illa differentia apud Evangelistas observari, quòd pars illa ab Asphaltide usque ad mare Genezareth, quæ è regione Judææ & Samariæ sita est, vocatur πέραν τῆς ἰορδάνης trans Jordanem, Matth. 19. v. 1. Marc. 3. v. 8. Johan. 1. v. 28. & 3. v. 26. & 10. v. 40. Altera vero pars à stagno Genezareth usque ad Cæsaream Philippi è regione Galilææ sita, vocatur vel in genere τὸ πέραν τῆς λίμνης, ἢ θαλάσσης, trans stagnum vel mare Genezareth. Marci 5. v. 1. Luc. 8. v. 22. Johan. 6. v. 17. Josephus verò illam terræ partem trans Jordanem, quæ è regione Judææ & Samariæ, usque ad montes termini Orientalis Habarim sita est, propriè vocat Peræam: ex qua voce quidam in Hegesippo fecerunt Peræam. Sed formata est vox ἀπὸ τῆς πέραν, lib. Antiquit. 15. cap. 11. lib. 17. cap. 13. lib. 18. cap. 9. lib. 20. cap. 1. vocat πέραν, lib. 3. cap. 2. ὅποσοι περῶσαντες ἰορδάνην ποταμὸν οἰκοῦσι, qui Jordanem transeunt in illis partibus habitant. Lib. 1. de bello Judaico cap. 2. τὴν πέραν ἰορδάνην πέραν. Et alicubi sanè Josephus etiam illam partem, è regione stagni Genezareth vocat πέραν: ut de bello Judaico cap. 3. lib. 5. Propriè verò Peræam situm & terminos describit lib. 3. de bello Judaico cap. 2. quòd longitudo ejus sita à Macherunte in Pellam, vel Peræa sit Septentrionalis. Macherunta autem esse arcem seu munitionem non procul ab Asphaltide, imminentem montibus Arabiæ deserta, Josephus indicat lib. 1. de bello cap. 6. Et Pellam esse in Decapolitana regione ad Trachonos montes, è regione stagni Genezareth, multis in locis Josephus indicat. Dicitur autem sita esse ad fluvium Jacob; ubi Jacob cum Angelo luctatus fuit, Gen. 32. v. 22. Atque hic terminus notabilis est, inter Peræam & Trachonitidem.

Teneamus igitur ex Josephi descriptione, Peræam (quæ Hermolao non inepte vocatur Judæa trans Jordanis. Interpretes vocant regionem Transammanam) intelligi illam partem trans Jordanem, quæ è regione Judææ & Samariæ sita est: quæ olim fuit possessio tribus Ruben: Alteram verò partem quæ è regione Galilææ sita est ad mare Tiberiadis usque ad fontes Jordanis, Josephus dividit in Batanaam, Trachonitim & Auranitum lib. Antiq. 15. cap. 13. lib. 17. cap. 13. Et de bello Judaico lib. 1. cap. 15. Terram illam, quæ trans Jordanem inter Galilæam & montes Trachonos sita est, vocat Trachonitum Batanaam & Auranitum, usque ad Cæsaream Philippi. A civitatibus verò Gamala & Gaulena, in illa regione sitis, partes illæ aliquando vocantur Gamaliticæ & Gaulonitidæ, de bello Judaico lib. 3. cap. 2. Et hæc fuit possessio olim dimidiæ tribus Manassis in superiori parte, in inferiori, tribus Gad. Deut. 3. v. 13. Tempore Moysis autem in illis locis Og regnum Basan tenuit. Fuit etiam ibi terra Gilead, Numeror. 32. v. 1. quibus à tergo versus Orientem habitavit Ammonitæ, Num. 21. v. 21. Et quia Amorrhæis ultra fluvium Jacob junguntur Gergesæi, Gen. 10. v. 16. Deut. 7. v. 1. Paral. 1. v. 14. Videntur Gergesæi in Trachonitide habitasse.

Certe

Certè Gessuri ibi non obscure collocantur, Deut. 3. v. 14. Josu. 13. v. 13. Has igitur duas Peræas Josephus ita distinguit, ut ea, quæ Judææ & Samariæ opposita est, sit omnium fructuum ferax, seu *πλούσιος*. Altera verò quæ è regione Galilææ sita est, ut plurimum sit aspera, deserta, & agrestis, de bello lib. 3. cap. 2. Atque inde nomen est Trachonitis. Et de Antiq. lib. 16. cap. 13. dicit, incolas plerumque latrocinii vacare, cum terra laboribus colonorum non respondeat. Hæc generalis delineatio de divisione, situ, appellationibus & limitibus præcipuarum regionum seu partium terræ sanctæ, citra & ultra Jordanem ad nostrum institutum, de distribuendis & declarandis peregrinationibus Christi, in historia Evangelica sufficere potest. Ubi verò in specie quorundam locorum & civitatum, vicorum, montium, desertorum, &c. in Evangelica historia mentio fiet, de illis commodius suo loco dicetur: & adhibita generali hæc terræ delineatione ostendi poterit, in qua hujus terræ regione, & quæ regionis parte, illorum locorum situs collocandus sit. Sigillatim enim omnium locorum, civitatum, vicorum, montium, desertorum situm describere & explicare alterius operæ est, & ad tabulas Chorographicas pertinet.

Ad hanc delineationem terræ sanctæ congruit & illud, quod Josephus præcipuas partes ita solet numerare, Antiq. lib. 17. capit. 12. Et de bello Judaico lib. 2. cap. 2. Factus est concursus ex Judæa, ex Galilæa, ex Idumæa, Hierichunte, & trans fluvium positis regionibus. Præcipue verò, quod aliquoties repetit, quomodo Augustus ex Testamento Herodis totum regnum inter hæres ipsius distribuerit. Quæ observatio multa etiam loca in historia Evangelica illustrabit. Scribit igitur libro Antiquitatis 17. cap. 13. Et de bello Judaico lib. 1. cap. 2. dimidium regnum Idumæani, scilicet, Judæam & Samariam Archelao sub *ἐθνικῆς* titulo attributum. Quæ pars postea, post relegatum Archelauum, in formam provinciæ redacta, & à Romanis Præsidibus administrata fuit. Reliqua verò dimidiam partem in duas Tetrarchias divisam: & Herodi quidem Antipæ Galilæam & Peræam celsisse, Philippo verò Batanæam, Trachonitum & Auranitum assignatam. Ejus verò Tetrarchiam postea, primum Cajus, deinde Claudius, Agrippæ donarunt, regio titulo, addita etiam Abela, & finitima ditione in Libano, Ituræa scilicet, quæ Lysia sive Lysania Tetrarchia antè fuerat: Josephus Antiquit. lib. 19. cap. 4. Et lib. 20. cap. 5.

Aliquid etiam ad nostrum institutum conferret, quod Josephus annotavit Antiquit. lib. 18. cap. 3. Et de bello Judaico lib. 2. cap. 8. Philippum scilicet in sua Tetrarchia, circa fontes Iordanis, ubi antea Paneas fuerat, novam extruxisse civitatem, & in honorem Cæsaris appellasse Cæsaream, quæ ad differentiam alterius Cæsareæ, ab Herode magno ad mare magnum conditæ appellata fuit Cæsarea Philippi. Et vico Bethsaida, in inferiore Gaulanide ad lacu Genezareth sito, Philippum urbis dignitatem addidisse, & in honorem filia Cæsaris appellasse Iu-

Harm. Tom. I.

liada: cujus situs inde potest colligi, quod de bello Judaico lib. 3. cap. 18. dicit Iordanem post oppidum Iuliada transire medium lacum Genezareth. Herodem verò Tetrarcham Sephorim munivisse, ut esset totius Galilææ caput. Et *ἐπὶ τῇ λίμνῃ* ad stagnum Genezareth in Galilæa, urbem à se conditam, in honorem Cæsaris appellasse Tyberiada. Aliam verò in Peræa extruxisse, & appellasse Iuliada.

Postremò, ad hoc nostrum institutum pertinet etiam disquisitio de situ & de urbibus Decapolis, (quæ à numero decem urbium, quæ in ea primariae sunt, nomen habet) propter loca quædam in Evangelica historia. Admodum autem in hac descriptione variant auctores, tum quoad situm, tum quoad urbes Decapolis attinet. Brocardus enim in suo itineraio citat ex Patriarcha quodam Hierosolymitano, Regionis Decapoleos fines esse, mare Galilææ ab Oriente, & Sidonem magnam ab Occidente, longitudinem verò ejus incipere à civitate Tyberiadis, & extendi usque ad Damascum. Civitates verò inquit Decapolis hæc sunt Tyberias, Sephet, Cedus, Nephtalim, Assor, Cæsarea Philippi, Capernaum, Ioviterra (quæ forsitan Diospolis est) Bethsaida, Corazaim & Bethara. Sed hæc opinio quæ Decapolin ponit citra Iordanem, non congruit cum historia Matthæi 8. v. 28. quæ trans Iordanem in Decapoli facta scribitur. Marc. 5. v. 20. Hieronymus dicit, hanc regionem fuisse trans Iordanem, citra Hippum, Pellam & Gadaram. Plinius etiam lib. 5. cap. 18. in latere Syriæ ponit Decapolitanam regionem: sed in numero oppidorum dicit non omnes eadem observare plurimos tamen numerare Damascum, Opaton, Philadelphiam, Raphanam, Hippon & Pellam, Garasam, Canatham. Hæc Plinius. Alii, existimant Decapolitanæ regioni annumerari civitates, quarum quædam citra, quædam trans Iordanem sitæ sint. Disputant non certam aut peculiarem esse regionem Decapolitanam: sed decem civitates hinc inde sparsas, per Galilæam Cisjordanem & Transjordanem, ita appellari. Sed historia Evangelica certos fines tribuit Decapoli. Marc. 7. v. 1. Cum itaque non tantum ad rationem peregrinationum Christi recte intelligendam, proliat aliquo modo nosse situm Decapolis, & reliquarum finitimarum civitatum, ad Iudaismum non pertinentium, verum etiam ideo ut consideretur, quando & quomodo Christus ad fines gentium deflexerit, mediocri diligentia inquiri, an ex Josepho (cui talia sine dubio ut indigena notiora fuerunt, quam exteris scriptoribus) certi aliquid de Decapoli colligi possit. Et videor mihi, de finitimis civitatibus, quæ ad differentiam *ἐλληνικῆς* vocabantur, aliquid observasse, quo disquisitio hæc illustrari possit: de qua tamen observatione eruditioribus, ut plenius illam evolvant, judicium permitto.

Fuit igitur occidentus terminus Palaestina Mare Mediterraneum seu magnum, sed ad littus illius maris sitæ fuerunt urbes, quæ propter commercia opulenta & potentes fuerunt, atque ideo nec jurisdictionis nec religionis Judaicæ fuerunt. Inde etiam Judæa vel Palaestina non fuerunt

C

fuerunt

fuerunt annuerata: sicut Strabo libro 16. scribit: *ὠρελία*, ora maritima, ab Orthosia usque Pelusium in Ægypto, Phœnice appellata fuit *σηνή τις καὶ ἀλιτενης*, angusta & maritima seu ripensis. Mediterranea enim ad Judæam pertinere dicit. Illius verò Phœnicia littoralis, è regione Palaestina, civitates Strabo has numerat: post Berythum, Sidonem, Tyrum, Prolemaida, Promontiorum Carmeli, Turrim Stratonis, Joppen, Jamniam Gadaridem, Azotum, Ascalonem, Gazan, ubi terminum Palaestinae meridiana Strabo ponit. Huic consonat, quod Iosephus etiam in libro tertio de bello Judaico cap. 2. dicit: Galilæam ab occidente Phœnicia cingi. Ille igitur civitates in littore maris Magni sitas, à regno Judaico avulsas, aliquando sub regibus Ægypti fuerunt; quandoque sub regibus Syria: à Judæis etiam sæpius expugnatae: plerunque verò liberae esse voluerunt. Iosephus enim Antiquitat. lib. 15. cap. 11. dicit: Augustum adiecit regno Herodis civitates *τῆς ὠρελίας*, utpote antea inde avulsas, Gazam, Antidonem, Ioppen, & Stratonis Turrim. Nam antea Pompejus civitates illas à Judæorum imperio liberarat: Azotum, Jamniam, Arethusam, similiter & *τῆς ὠρελίας*, Gazam, Ioppen, Doram, Stratonis Pyrgum, quas Judæis ablatas, Iosephus lib. 1. de bello Judaico c. 5. refert, Pompejum indigenis civibus restituisse, & Syriae provincia adiunxisse. Quod capite 6. dicit, Gabinium in aliis etiam illius loci civitatibus fecisse puta Anthedone, Apollonia, Jamnia, Raphia, Maresa, Dora, Gadara, Azoto. Illa igitur civitates nec gentis nec religionis Judaicae fuerunt: habitatae scilicet *ὑπὸ Φύλων μικτῶν* à mixtis gentibus, Ægyptiis, Arabibus & Phœnicibus: sicut Strabo inquit lib. 16. Cumque essent *μιγάδες*, non pauci etiam Judæi inter ipsos habitaverunt, qua occasione tempore belli Judaici, gentes Judæos illos inter se habitantes crudeliter in illis civitatibus trucidarunt. Iosephus de bell. Judaic. l. 2. c. 19. & 20. Illas igitur civitates ad littus maris magni sitas, fuisse *ἑλληνικάς*, hoc est, religionem gentiles, Iosephus testatur Antiquit. l. 12. c. 13. Et attributas illas civitates fuisse Syriae & Phœniciae antea ostendimus. Unde mulier illa Cananaea vocatur *ἑλλῆνισσά* & Syrophœnissā, Marc. 7. v. 26.

Non autem potui animadvertere, appellationem Decapoleos illis civitatibus apud Iosephum tribui. Strabo quidem lib. 16. regionem complectentem tres civitates, quas *ἀδελφῶς*, forores vocarunt scilicet Tyrum, Sidonem, & Aralum vocat Tripolim: sicut tractum quendam in Syria, circa Euphratem, dicit vocari Tetrapolim, eò quòd licet, plures ibi sint civitates, quatuor tamen maxime sint insignes, Antiochia scilicet, Seleucia, Apamea & Laodicea. Sed in Phœnicia illa maritima nulla sit Decapolis mentio. Opera precium autem est observare, quomodo maritimae illae civitates in historia Evangelica appellantur. Et Iosephus quidem illas vocat *τῆς ὠρελίας*, vel civitates, *τῆς ὠρελίας*, quam appellationem etiam Lucas cap. 6. v. 17. populis tribuit. Matthaeus verò c. 15. 21. nominat fines Tyri & Sidonis. Scribit autem

Iosephus de bello Judaico lib. 3. cap. 2. Tyriorum fines, suo tempore in littore maris, à Libano usque ad Carmelum se extendisse, hoc est, utramque ferme Galilæam, ad occasum, Tyriorum finibus cinctam fuisse. Quando ergo Christus dicitur exiisse in fines Tyri & Sidonis, praesudens ad vocationem gentium, non tantum de extimo angulo ad Libanum cogitandum est, sed de toto illo maritimo tractu, qui Galilæae, occidentem versus, oppositus est. Atque hæc propterea annotamus, ut ratio peregrinationum Christi eò rectius considerari possit. Habemus itaque & maritimum tractum, certis & quidem illis ipsis quibus Evangelica historia utitur appellationibus, distinctum. In Actis verò tractus ille maritimus vocatur Phœnicia. Et in historia Machabæorum, sæpius nominantur Calesyria & Phœnicia: quibus Palaestina ab ortu & occasu contigua fuit, & illis terminata ac quasi clausa. Id quòd Strabo etiam indicat lib. 16.

Porro similis etiam ratio est in parte opposita, hoc est, in termino terræ sanctæ Orientali trans Iordanem, ubi in Calesyriam declinat. Nam & illis finibus adjuncta seu interjecta sunt tales civitates, sicut de maritimis jam diximus. Judæi enim extra fines suos progressi, fines suos etiam & in Phœniciam maritimam & in Calesyriam Orientalem, occupatis civitatibus quibusdam, extenderunt. Sicut Iosephus Antiquit. l. 13. cap. 20. narrat. Alexandrum Regem Judæorum, maritimas civitates, quæ Judaicum imperium, ut jam diximus, detrectabant, subegisse. Et cap. 21. & 23. addit ipsum in Calesyria Gadaram ac multas alias civitates expugnasse, & in Geraferiorum tandem finibus, in obsidione quadam mortuum. Et illas quidem civitates subactas, ad ritus suos suscipiendos Judæi adegerunt. Pella enim tunc idco diruta fuit, quòd itus Judaicos suscipere nollet, Antiquit. lib. 13. cap. 23. Pompejus verò postea Judæos, ablatas, quas in Calesyria cœperant, civitatibus propriis finibus circumclusit, & civitates illas indigenis civibus reddidas, Syriae praesidi parere iussit. Ioseph. Ind. de bell. lib. 1. c. 5. vicissim verò c. 15. Augustus ex civitatibus illis Gadaram & Hippum regno Herodis adiecit dicitur: quas tamen non multo post hæredibus Herodis regnum distribuens, inde se junxit. Ita enim Iosephus scribit Antiquit. lib. 17. cap. 13. Augustus Gadaram & Hippum, ideò quòd essent civitates *ἑλληνίδες*, hoc est, Græcanici instituti, à regni Judaici terminis separatas, Syriae attribuit. Illas verò civitates in finibus Trachonitidis & Calesyriae intermixtas intelligendas, quando Decapolis vel Decapolitana regio appellatur, inde colligitur. Iosephus enim in vita sua primò dicit: Iustum quendam incendisse vicus Hippenorum & Gadarenorum, in Scytopolitano- rum finibus. Postea verò dicit, hoc factum in Syrorum Decapoli: sive, ut Iosephus loquitur, oppugnastis *τὰς ἐν τῇ σορίᾳ δεκαπόλεις*, incensis vicis illarum. Et de hac clade Gadarenis & Hippenis illata, questi sunt apud Vespasianum, *οἱ τῶν δεκα πόλεων ἑνοικῆι*, Decapolitani sive inhabitatores Decapolis. Et in fine vocat illos *ἀρχαῖες τῶν τῆς σορίας δεκα πόλεων*, Deca-

Deca-

Decapolitanorum civitates. Et lib. 3. de bello Iudaico c. 16. dicit Scythopolim esse maximam τῆς δεκαπόλεως. Et Scythopolim illam Josephus expresse ponit in Cælesyria, Antiq. lib. 13. c. 21. Et Strabo lib. 16. dicit, Scythopolin sitam non in Galilæa, sed ἐπιγαλιλαίας. In hac verò Syrorum Decapoli, tanquam Syrorum vici & civitates, numerantur à Josepho de bello Iudaico. lib. 2. cap. 19. Philadelphia, Gebonitis, Gerasa, Pella, Scythopolis, Gadara, Hippos. Illis civitatibus, lib. 1. cap. 4. ubi Pellam & Gerasam nominat, addit Gaulanem, Seleuciam, & eam quæ Antiochi Pharanx dicitur. Et de Gadara ac Hippo Josephus alibi etiam mentionem facit, ut Antiquitat. lib. 15. cap. 11. lib. 17. cap. 13. De bello Iudaico lib. 2. cap. 20. conjungit Hippenos, Gadarenos & Geresenos. Et lib. 5. cap. 3. vocat Gadaram Metropolim Perææ. Situs verò Decapolis inde colligi potest. Josephus enim de bello Iudaico l. 1. c. 5. describens iter Pompeii ex Syria in Judæam, inquit: Cum Pellam & Scythopolin prætergressus Coreas venisset, unde Judæorum fines per mediterranea subeuntibus incipiunt. Et sub finem capituli, civitates illas vocat μεσογείας, mediterraneas. In vita Josephi scribitur, Hippum, Gadaram, & Scythopolin, esse oppida ditionis Agrippæ, quæ Trachonitis fuit. Et Hippum à Tiberiade distare stadiis triginta, Gadaram 60. Scythopolim 120. Ad dam & hoc quod de bello Iud. lib. 3. cap. 2. Josephus scribit: Perææ, quæ Judææ & Samariæ trans Jordanem opposita est, longitudinè esse à Macherunte in Pellam, ita aut Pella ei sit Septentrionalis. Ab Oriente verò Peræam illam claudi Philadelphia & Geraris: ita enim Græcum exemplar habet, non Gerasis sicut interpret scripsit. Atque ex his manifestum est, situm Decapolis fuisse trans Jordanem non in Peræa, quæ Judææ & Samariæ opposita est, sed in Trachonitide è regione Galilææ: sicut Beda etiam dicit.

Hæc bono studio & mediocri diligentia ex Josepho collegi, quæ candidis lectoribus judicanda permitto. Inde verò intelligi poterit ratio peregrinationis Christi, quando scribitur: ex finibus Tyri, per medios fines Decapolis, venisse ad mare Galilææ: sicut in Harmonia ostendimus. Et huic observationi de situ Decapolis

nihil obstat, nisi quod dicunt, Gadaram & Scythopolim citra Jordanem occidentem versus à Scriptoribus collocari. Ad quam objectionem facilis & plana est responsio. Non enim eadem, sed alia est, Gadara, quam Josephus lib. 5. & alibi inter civitates maritimas numerat. Ubi etiam Strabo lib. 16. Jordanem ponit: & alia, quam in Peræa expresse dicit esse mediterraneam, sicut loca supra notavimus. Sythopolim etiam Josephus expresse dicit in Cælesyria sitam, ut supra ostendimus. Alii verò ex conjecturis argumentantur, Bethsan in Samaria dictam etiam Scythopolim: quæ conjectura tantum est, & si maximè esset vera, alia esset Scythopolis Cælesyriæ, alia Samariæ.

Et hac notatione seu delineatione, situs præcipuarum regionum terræ sanctæ, quarum in Evangelica historia mentio fit, intelligi potest. Et eadem prorsus ratione ab Evangelistis dividuntur, sicut in hac delineatione ostendimus. Ita enim qui Christum sequebantur, numerantur, Matth. 4. v. 25. Marc. 3. v. 7. Luc. 6. v. 17. Ioann. 6. v. 1. primò turbæ ab Idumæa. 2. à Judæa. 3. à Hierosolymis, hoc est, ex tribu Benjamin. 4. à Galilæa. 5. πέραν τῆς ἰορδάνης, hoc est, ex Peræa. 6. πέραν τῆς θαλάσσης γαλιλαίας, hoc est, ex Trachonitide. Matth. 4. v. 15. vocatur via Maris trans Jordanem. Ex Syria enim in Judæam profecturus Pompejus, per Decapolim & Trachonitidem iter fecit: sicut supra diximus. Et Josephus Antiquit. lib. 17. cap. 2. dicit, eos, qui Babylone Hierosolymam petunt, transire per Batanæam & Trachonitidem. 7. ex Decapoli. 8. ἐκ τῆς παραλίης, hoc est, ex maritimis versus Egyptum civitatibus. 9. ex finibus Tyri & Sidonis, quæ Act. 15. v. 3. vocatur Phœnice. 10. In Actis, Samaria additur Judææ & Galilææ, c. 1. v. 8. & 9 v. 31. In tot igitur partes Evangelica historia totam illam terram dividit.

Et hæcenus, quis sit singularum partium situs, in genere explicavimus. Quando vero in specie singulorum quorundam locorum, ut civitatum, vicorum, montium, &c. mentio fit, de illis in Harmonia ipsa dicemus: in qua regione seu parte hujus terræ sita sint. Ideo enim generalem hanc delineationem præmittere volui, ut tùm omnia essent expeditiora.

CAPUT VII.

Generalis distributio totius hujus operis, ex qua generatim cognoscitur, quid in sequenti Evangelica Harmonia potissimum tractetur.

EXPEDITIS utcumque illis, quæ de generalibus quibusdam commonefactionibus & observationibus, ordinis & methodi gratia, necessariò præmittenda fuerunt, jam dispositionem eorum, quæ in ipsa Harmonia tractanda nobis proposuimus, breviter ostendemus. Et capita sumemus ex illis auctoribus, qui, vel in veteri Ecclesia, vel nostro seculo, ad illustrandam Harmoniam historiæ Evangelicæ alicuique momenti sit, contu-

Harm. Tom. I.

lerunt: sicut in secundo capite declaravimus.

Primò igitur totam historiam Evangelicam distribuemus secundum annos, quibus Christus in publico suo ministerio in terris versatus est: ita ut singulis ministerii ipsius annis sua Acta, seu certæ historiæ, assignentur. Atque ita in distinctos aliquot libros dividenda erit Harmonia, quorum distributionem ex re ipsa sumemus. Quia enim supputatio annorum ministerii Christi à baptismo ipsius incoanda est: sicut capite quarto ostendimus. Ea igitur, quæ in

C 2 historia

historia Evangelica Baptismum Christi antecedunt, ut sunt historiae de conceptione, nativitate, educatione & vita, tum Baptista, tum Christi; item initium praedicationis & baptismi Joannis, usque ad historiam baptizati Christi, primum librum efficient. Secundus liber exponet historias, seu acta, primi anni ministerii Christi. Tertius liber complectetur acta secundi anni ministerii Christi. In quarto libro acta tertii anni ministerii Christi certo ordine distribuemus. Quae vero quarto seu postremo anno ministerii Christi, usque ad historiam ascensionis gesta sunt, (hunc enim terminum seu finem Evangelicæ historiae Petrus constituit, Act. 1. v. 2.) ea in quintum librum conferemus. In singulis autem libris ostendemus, in quibus historiis initia & fines cujusque anni versimiliter seu probabili ratione collocari possint. Addemus etiam notationem festorum Paschatis, quae ordine in annos ministerii Christi inciderunt.

Secundò. Ut ordo seu ἀκολουθία singularum historiarum eò rectius & distinctius observari & considerari possit, singulis historiis singula seu distincta capita attribuenda erunt, quae continuo progressu ab initio usque ad finem juxta ordinem consequentiae, non habita ratione divisionis librorum, numerabuntur. Aliquid enim incommodi, tum propter Elenchos seu indices, tum propter alias etiam causas videtur habere, si juxta divisionem librorum Harmoniae, capita discernantur, & singulis libris peculiaris numerus capitum assignetur. In singulis autem Harmoniae capitibus annotabitur, ex quibus Evangelistarum capitibus (sicut vulgò illa distribuuntur) historiae quae exponuntur, sumtae sint.

Tertiò. In singulis capitibus, ordo, tum historiarum, tum perfectionum, monstrabitur, & ratio ordinis explicabitur: & si quae observationes dogmaticae ex ordine antecedentium & consequentium sumi poterunt, ostendetur. Ac sicubi scriptorum sententiae de ordine historiarum variant, illas, quae praecipuae sunt, collationis gratia recitabimus, & additis rationibus exponemus. De locorum etiam situ, & ratione peregrinationum, declarationes quasdam, ubi opus erit, addemus.

Quartò. Singulis capitibus proponemus *πείρας*, summam seu argumentum cujusque historiae complectentes, & simul ostendentes, quomodo praecipuae historiarum circumstantiae ita expendi possint, ut explicato sensu textus, dogmata quae in singulis historiis observanda sunt, quasi intento ad fontem digito, monstrantur. Adjectis interdum vocabulorum explanationibus.

Quinto. Contextum cujusque historiae, illo ipso tenore & ordine verborum, sicut ab Evangelistis descriptae sunt, subjungemus: & quando una & eadem historia à pluribus Evangelistis simul describitur, singulorum descriptiones & verba, sigillatim ac ordine juxta se invicem (distincta per columnulas pagina, ut collatio eò facilius institui possit,) proponemus.

Sextò. De collatione, consensu, conciliatione, & coagmentatione circumstantiarum, sicut

à diversis Evangelistis in narratione earundem historiarum expositae sunt, quaedam annotabimus.

Septimò. Ostendemus, quomodo descriptiones unius & ejusdem historiae, quae à pluribus Evangelistis, non eodem prorsus modo, sed mutatis quibusdam verbis, & variatis aliquibus circumstantiis, exposita est, in unam continuam sibi consentientem & coherentem narrationem contexti & coagmentari possint: quod veteres vocarunt: *συμφωνίαν, ἀρμονίαν, τὸ ἀπὸ τρεῶν ἀρῶν* vel *μονοτέσσαρον*: in illa coagmentatione, non judico opus esse notis ostendentibus, quae verba vel quae sententiae cujus Evangelistae sint: cum in nostra hac Harmonia in singulis capitibus paulò ante Monotesaron, singulorum Evangelistarum verba ordine proponantur. Quando verò singula omnium Evangelistarum verba, in Monotesaro, propter continuam narrationis, coherentiam, commodè inferi non poterunt, illa in margine signo crucis † notabuntur indicato Evangelistae nomine usitatis literis. M. R. L. I. Et si quae particulae copulativae seu expletivae, propter commodiorum narrationis coherentiam, addendae erunt, illa tali signo (..) ut adjectivae notabuntur.

Octavò. In fine singulorum librorum, summam colligemus concionum, miraculorum, perfectionum, auditorum, adversariorum, & quae praeterea in unoquoque anno ministerii Christi acciderunt.

Nonò. Ex tota Harmonia excerpemus brevem Elenchum distributionis annorum ministerii Christi, & ordinis seu ἀκολουθίας historiarum cujusque anni, ipsis historiis paucis tantum verbis notatis. Et elenchum vel in principio vel in fine Harmoniae ponemus: ut tanquam in *συνόψει*, Harmoniam & ἀκολουθίαν totius Evangelicæ historiae compendio, & tanquam in tabellam, ob oculos ponat.

Decimò. Addemus indicem, de singulorum Evangelistarum capitibus, sicut vulgò distribuuntur, quae historiae, in quibus Harmoniae hujus capitibus, quaerendae sint, & inveniri possint.

Haec sunt praecipua capita, in quorum tractatione Harmonia nostra versabitur. Quae verò Emphasin vocabulorum & sententiarum seu locorum communium qualemcunque explicationem spectant, illa ita adjiciemus, ut nec haec tractatio Lectorem jejunum à se dimittat.

Porro, diu multumque deliberavi, quanam latina versio ad nostri propositi rationem, quae collationis potissimum gratia instituitur, commodissima foret. Et primo quidem videbatur aliquam ex eruditioribus versionibus, quae ad Graecos fontes propius accederet, sumendam. Sed quia collatio, quoad verba & sententias Evangelistarum non potest commodius aut rictius, quam in ipsis fontibus institui: ideo curabo primò Græcum textum, sicut Evangelistae scripserunt, exprimi. Frustra enim in versionibus emphases & differentiae vocabulorum quaeruntur. Deinde veterem & vulgatam versionem, quia & ubique usurpatur, & in nostris

nostris etiam Ecclesiis in citationibus sive allegationibus sententiarum usurpatur, constitutam retinere: & ea, quæ in illa versione librorum vel incuria vel incertia sive omissa sive depravata sunt, quæque à fontibus improprietate vel incommoditate interpretationis nimium recedunt, ad ipsos fontes modica inflexione corrigere. Sed vidi, hoc non posse fieri, quin vi-

deatur quasi nova esset translatio, quæ tamen omnibus non satisfaceret. Ideo tandem iudicavi, simplicissimam esse rationem, si Erasmi versionem quæ à veteri non nimis longè recedit, quæque ubique jam recepta & usitata est, sumerem. Nos enim in hoc libello, non de optimo genere interpretandi, sed de Harmonia historiae Evangelicæ agere constituimus.

CAPUT VIII.

De quatuor Evangelistarum Canonicis scriptis, eorumque auctoritate sacrosancta in Christi Ecclesia.

LTSI in Ecclesia Christi palam quatuor Evangelistarum auctoritas semper sacrosancta salubrisque fuit: tectè tamen eadem variis modis conspurcatur à Pontificiis, affirmantibus, Ecclesiæ auctoritatem esse supra scripturam. Etenim illam usurpasse sibi jus & potestatem in Thomæ, Matthæi, Bartholomæi, & similibus, qui tamen Apostoli fuerunt, Evangelii rejiciendis; & vicissim Marci & Luca qui cum Christo versati non fuerunt, recipiendis. Item, dum nimis strenuè pro stabiliendis humanis suis traditionibus digladiantur: apertè contendunt, Evangelistas non omnia de dictis & factis Christi scriptis suis complexos esse, quæ fidei & salutis Ecclesiæ sufficiant, sed multa de Christi doctrina, scitu creditaque ad salutem necessaria, ex tacitis traditionibus mutuanda esse. Priusquam igitur ad ipsam Harmoniam nostram Evangelicæ tractationem progrediamur, breviter quædam ex veterum scriptis, de quatuor Evangelistarum fide, auctoritate, & (ut ita dicam) sufficientia annotabo, quæ pio Lectori nec ingrata nec inutilia futura spero.

Veteres, qui in numerorum mysteriis cupidè suas quasdam delicias venati sunt, multa disputant, quare quatuor sint Evangelistæ. Quidam, ut Origenes, à quatuor fluminibus Paradisi rationem repetunt. Alii, ut Hieronymus, quatuor annulos, quibus arca, custos tabularum Legis portabatur, proferunt. Augustinus suspicabatur, hanc esse rationem, quia doctrina Evangelii propaganda erat, in totum terrarum Orbem, cujus quatuor sunt partes, ideò quatuor esse Evangelistas. Idem venustè quatuor Evangelistas vocat sanctam quadrigam Domini, quam tanquam curru triumphali, Psalm. 68. v. 18. per orbem terrarum vectus, odorem cognitionis suæ spargit. Irenæus disputat de quatuor ventis principalibus.

Plerique quatuor animalia, Ezech. 1. vers. 5. Apoc. 4. v. 6. ad numerum Evangelistarum accommodant, quorum imagines non eodem modo Evangelistas attribuunt. Græci enim Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Bovem Luca, Leonem Joanni attribuerunt. Augustinus verò tribuit Matthæo Leonem, Luca Vitulum, Marco Hominem, Joanni Aquilam. Ambrosius, Matthæo tribuit Hominem, Marco Leonem, Luca Vitulum, Joanni Aquilam. Sed hæc, ut non impiè cogitata, relinquamus in medio,

Harmon. Tom. I.

dummodò certum maneat, sicut præordinatos fuisse à Deo, Petrus Act. 10. v. 41. affirmat, illos, qui prædicatione sua testes debebant esse eorum, quæ Jesus cœperat facere & docere: ita etiam divinitus ordinatum esse credamus, sicut inquit Augustinus, ut illi quatuor historiam Evangelicam conscriberent, capite membris dictante, quicquid ille, de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam manibus suis imperavit. Hoc unitatis confortium, & in diversis officiis concordiam membrorum, sub uno capite, ministerium, quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Hæc Augustinus.

Materia igitur & argumentum historiae Evangelicæ est, quomodo Deus Filium suum juxta Prophetarum vaticinia miserit in mundum, natum ex muliere: Quodque initium Novi Testamenti factum sit à prædicatione Joannis Baptistæ, sicut Prophetæ prædixerant, & præcipuè quæ Jesus cœpit facere & docere à Baptismo Johannis usque ad diem, quo assumptus est in cælum.

Horum autem omnium præordinat & elegerat Apostolos testes in Hierusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ: qui egressi prædicaverunt ubique ea, quæ Jesus fecerat & docuerat. Et Dominus illorum prædicationem multis stupendis signis & miraculis, quæ doctrinam sublequebantur, Ecclesiæ obsignabat & confirmabat.

Doctrina ergo Evangelii (in quam sententiam nunc de ea loquimur) debet complecti historiam de emissionem Filii Dei in carnem: de testificatione Joannis Baptistæ, & de iis, quæ Christus in publico suo ministerio fecit & docuit. Et est illa doctrina, quam Apostoli prædicatione sua per universum terrarum orbem sparserunt, quæ Ecclesiis tradita & miraculis confirmata est. Hanc Apostoli per aliquot annos, sine scripto, viva voce tradiderunt. Postea verò, & propter hæreticos, & propter posteritatem scriptis comprehensa est: sicut inquit Psalm. 120. v. 19. Scribantur hæc in generationem alteram, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Hieronymus inquit: Sicut necesse fuit ad confirmationem fidei Evangelium prædicari: sic & contra hæreticos scribi. Et illustrior est Irenæi sententia, lib. 3. cap. 1. Non enim per alios dispo-

dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos. Quod quidem tunc praconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem, in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostrae futurum, &c. Nam & hoc modo Prophetae suas conciones, quas Deus voluit ad posteritatem extare, scripto complexi sunt, sicut colligi potest ex octavo Esaiae v. 1. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, hoc est, qui intelligi possit. Et Habacuc 2. v. 2. Scribe visionem & explana eam super tabulas: ut percurrat, qui legerit eam. Et clarissime Hieremia 30. v. 2. 26. v. 2. & 45. v. 1.

Et hac collatione utitur Chrysostomus in Matth. Sicut Veteri Testamento doctrina primum sine literarum auxilio tradita fuit, postea vero Scriptura tradita est: ita in Novo Testamento, primum, non acceperunt legem scriptam, sed Spiritus promittebatur. Ille vos docebit omnia. Caterum quia temporis lapsu, quidam propter dogma, alii propter morum improbitatem, graviter impegerunt, iterum literis opus fuit.

De singulis vero Evangelistis notanda sunt antiquitatis testimonia, qua occasione & quo ex consilio ex divina inspiratione doctrinam Evangelii scripto complexi sint. Inde enim ea quae ostendere constituimus, planissima erunt.

De MATTHAEO inquit Hieronymus ex Eusebio: quod in Judaea Evangelium ediderit, ob eorum maximam causam, qui Hierosolymis ex Judaeis crediderant. Cum enim primum praedicaisset Evangelium viva voce, volens transire ad gentes, primum Evangelium conscripsit, quod fratribus, a quibus ibat, in memoria dereliquit: sive, ut Eusebius planius loquitur, ut Judaeis praedicati sui Evangelii *μνημόσυνον* relinqueret. Et addit Hieronymus illam, quam supra annotavimus, sententiam: Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei Evangelium praedicari: sic & contra haereticos scribi.

Chrysostomus, in opere imperfecto, refert: cum in Palaestina gravis persecutio oriretur, illi, qui ex Judaeis conversi erant, si forte carendum esset doctoribus fidei, ne carerent doctrina, petierunt a Matthaeo, ut omnium verborum & operum Christi conscriberet eis historiam: ut ubicunque essent futuri, totius secum haberent fidei statum. Thomas his verbis Chrysostomi sententiam recitat: ut dispergendis, totius fidei, quam viva voce tradiderat, summam scripto complecteretur. Chrysostomus vero ita recitat: Matthaeum scripsisse rogatum a Judaeis: ut, quae verbis docuisset, haec eadem literis servanda, post discessum suum dimitteret.

Notet autem lector illud Thomae: in Evangelio Matthaei, totius fidei, quam Apostoli Hierosolymis ex Judaismo conversis tradiderunt, summam scripto comprehensam esse. Et *μνημόσυνον* ejus doctrinae, quae primis annis praedicationis Apostolicae Hierosolymis & in Judaea, in vera Ecclesia sonuit, nos habere in scripto Matthaei.

Fuit autem Matthaeus Apostolus, cujus doctrinae fides & veritas miraculis ab ipso Domino

confirmata est, & scripsit viventibus & docentibus adhuc reliquis Apostolis. Scripsit autem illi Ecclesiae, quam primam sibi filius Dei post ascensionem Hierosolymis collegit, in qua quotidie adhuc vigebar & sonabat viva voce Apostolorum traditio. Manifestum ergo est, qua occasione, & quo consilio, Matthaeus suum Evangelium scripto primum complexus sit, & quae sit indubitata ejus auctoritas.

In Cypro Matthaei Evangelium fuisse in tumultu Barnabae inventum, Theodorus lector testatur. Hieronymus scribit, Pantaeum, cum a Demetrio Episcopo Alexandrino, missus esset in Indiam, reperisse Bartholomaeum ibi praedicaesse fidem Christi juxta Matthaei Evangelium, quod etiam Hebraice scriptum inde secum attulit Alexandriam. Notetur hoc, ut inde cognoscatur, quantum ipsi Apostoli huic scripto tribuerint.

De MARCO, Eusebius lib. 2. cap. 15. & Nicephorus lib. 2. cap. 45. ita scribunt. Petrum, cum Romam, ad refutandas Simonis Magi praestigias, proficisceretur, comitem assumpsisse Marcum, & praedicatione sua ibi tantum effecisse, ut auditores, non contenti viva voce, sicut Nicephorus inquit: vel, sicut Eusebius loquitur, non contenti non scripta divinae praedicationis doctrina, Marcum discipulum ejus rogarent, ut eam doctrinam, quam verbo traditam acceperant, scripturae traderet, & literis memoria mandaret: ut domi forisque in hujusmodi verbi meditationibus permanerent. Quorum pium & justum desiderium ubi Petrus intellexisset, ut vidit, factum confirmavit, & in perpetuum legendam Scripturam Ecclesiis tradidit.

Chrysostomus, qui asserit, non usque adeo certum esse, quibus in locis quisque Evangelistarum scripserit, dicit, in Egypto auditores rogasse Marcum, ut ea, quae a Petro & Paulo accepta viva voce tradidisset, scripto complecteretur. Ut ut autem sit, hoc manifestum est, qua occasione & quo consilio scriptum sit Marci Evangelium, & quae sit ejus auctoritas.

Nec quenquam moveat, quod Marcus non fuit unus ex numero Apostolorum. Augustinus rationem, quod Marcus & Lucas, qui non fuerunt Apostoli, ad conscribendam historiam Evangelii, divinitus vocati sunt, hanc reddit: Ne putaretur, quod attinet ad praedicandum & percipiendum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi annunciant, qui Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt: An hi, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, divina providentia procuratum est, per Spiritum sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solum annunciandi, verum etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas. Haec Augustinus.

Fuit autem Marcus non contemnenda auctoritatis vir in Ecclesia, ut enim disputationem illam, quae omnino est verisimilis, non faciamus nostram, an sit ille Joannes cognomento Marcus, cujus mater, Act. 12. v. 12. discipulis hospitium praebuit. Et cujus mentio fit, Act. 12. v. 12. 13. & 25. & c. 15. v. 37. 39. Hoc constat, Marcum

unum

unum fuisse ex præcipuis discipulis Petri. Dicit enim i. Epist. 5. v. 13. Salutat vos Marcus, filius matris. Et Paulus circa finem vitæ & cursus sui, 2. Tim. 4. v. 11. inquit: Marcus adjuuge tibi, & adduc mihi. Est enim mihi utilis ad ministerium.

Quod ad Lucam attinet, non disputabo de eo, quod Tertullianus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Chrysoftomus, & veteres plerique omnes dicunt, Paulum, quando dicit, secundum Evangelium meum, intelligere historiã illam Evangelicam, cujus ipse sit auctor, Lucas verò scriba tantum. Præfatio enim Luca videtur diversum tradere, nisi intelligatur, & Paulum Evangelium suum ab Apostolis suis accepisse, quod ipse negat, Gal. 1. v. 17. Item, an de Luca intelligendum sit, quod Paulus inquit 2. Cor. 8, 18. cuius laus est in Evangelio, per omnes Ecclesias. Ostenderet hoc sanè valde solennem approbationem Evangelii Luca per omnes Ecclesias.

Sed non opus est illis incertis & detortis disputationibus, cum habeamus certiora & firmiora testimonia. Ipse enim Lucas in præfatione confirmat, se ea, & quidem eo modo, sicut Apostoli, qui ab initio ministerii Christi fuerunt oculati testes gestorum ipsius & ministri verbi, tradiderunt, scripto suo complexum esse. Et addit: Ea, quæ de historia Evangelica tunc in tota Ecclesia apud omnes credentes περιηροφορηται, hoc est, nota, certa, & indubitata fuerunt, se descripsisse. Et quidem hoc consilio, hac de causa, & in hunc finem, quia multi tentabant, vel non diligenter, vel non fideliter narrationes illas conficere. Ut Theophilus, incertis opinionibus & dubiis libris rejectis, sicut inquit Eusebius, eorum, quæ viva voce ex veris Apostolorum traditionibus acceperat, haberet talè certitudinem, ne subinde suboriri incipientibus aliis, peregrinis & incertis traditionibus tanquam vento circumferretur. Hanc enim esse emphasin & proprietatè vocabulorù, τὸ καθήχουσα, καὶ τῆς ἀσφαλείας, quibus Lucas utitur, eruditi norunt.

Certum quidem est, Lucam non fuisse Apostolum, Epiphanius, Theophilactus, & plerique veteres disputant, fuisse unum ex 70. & quidem illum, cui cum Cleopha Christus in itinere, E. mantem verus, apparuerit, Luc. 24. v. 13. Sed ipse negat, se fuisse ἀπόστολον gestorum Christi, & ministrum verbi, ipso in carne versante. Nisi forsàn hoc velit, se non ab initio sicut Apostolos interfuisse concionibus & miraculis Christi. Septuaginta enim postremo anno vocati sunt.

Tertullianus vocat virum Apostolicum. Constant enim, quod fuerit perpetuus comes peregrinationis Pauli. Cui Paulus hoc testimonium perhibet: Omnes me reliquerunt, Lucas solus mecum est, 2. Timoth. 4. v. 11. Item, salutat vos Lucas Medicus dilectus, Coloss. 4. v. 17. Ad Philem. vers. 24.

Observandum verò est, Lucam non fuisse otiosum comitem. In actis enim ita loquitur: Venimus, prædicavimus, &c. Et quia genere fuit Antiochenus, & professione Medicus, videtur Act. 1. v. 26. conversus esse ad fidem Christi, & adhæsisse Paulo. Et ne ideò minoris sit auctoritatis Evangelium ipsius, quia ipse nec vidit res gestas Christi, nec audivit conciones, affirmat,

se omnia à primis initiis historiae Evangelicæ non obiter & superficialiter, sed exquisita diligentia exquisivisse & pervestigasse, ut ea, quæ Apostoli tradebant, animadvertione & intelligentia rectè & plenè assequeretur. (Ita enim verbũ *ἀσφαλισθῶ* usurpatur à Luciano in Symposio) cū non omnib⁹ quæ acta erant ipse interfuisset: sed ex aliis cognovisset, & exquisivisset.

Et Demosthenes *περὶ τῶν ἀποστόλων* τῶν πρώτων ἀρχῶν, pro quo Lucas dixit: ἀνωθεν. Idem *περὶ τῶν ἀποστόλων*, f. 272. dicit, se adhibuisse illam diligentiam, ut quæ acta fuerant in legatione, tam certò & exactè cognosceret, ac si ipse præsens interfuisset. Ita usurpatur etiam contra Timocratem, fol. 490. Et hæc significatio verbi commodior est ad commendandum auctoritatem Evangelii Luca, quàm ea, quam Budæus sequitur, de serie narrationis, ut nihil cognitione dignum prætermittatur. Nam & Paulus cujus comes Lucas fuit, ita usurpat illud verbum, 1. Tim. 4. 6. & 2. Tim. 3. v. 10.

Irenæus lib. 3. c. 14. plucrè confert hac in re præceptorè Paulum & discipulum Lucam, Paulus Mileti cōvocatis presbyteris dicit: Non subtraxi vobis, ut non annunciarem omnem sententiã Dei. Lucas verò sine invidia, quæ didicerat, tradidit inquit: Sicut tradiderunt nobis.

Hæc de tribus Evangelistis, sigillatim notari possunt, de quorum scriptis Augustinus in genere inquit: Eo tempore scripserunt, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt, &c. Omnino enim Apostolica auctoritate opus fuit, ut approbarentur, & Ecclesiis, tanquam fundamentũ & columna fidei (sicut Irenæus loquitur) commendarentur Evangelistarum scripta. Illorum enim erat de his testimonium perhibere, quos Christus elegerat, & præordinarat, ut essent tales testes rerum à se gestarum. Ita Tertullianus refutaturus Evangelium, quod Marcion pro genuino Ecclesiis obtrudebat, opponit, non posse probari, Evangelium istud esse vel traditum, vel scriptum, vel approbatum ab Apostolis. Et inquit: constitui-mus in primis, Evangelicum instrumentum Apostolorum auctores habere: quoniam prædicatio Apostolorum suspecta fieri possit, si non assistat illi auctoritas magistrorum: imò & Christi, qui magistros Apostolos fecit.

Hactenus igitur de Matthæo, Marco, & Luca monstravimus, qua occasione & quo consilio scripserint, & quorum auctoritate illorum scripta approbata sint. Est autem hæc observatio & jucunda & utilis: scilicet quæ fuerit summa fidei, quam Apostoli in Ecclesia Hierosolymitana tradiderunt, literis consignatam esse in Evangelio Matthæi: & quæ sit doctrina, quam Petrus viva voce tradidit Romanæ Ecclesiæ, cujus fides in universo mundo, viventibus Apostolis annunciabatur, Rom. 1. v. 8. literis Marci memoriæ esse mandatam. Hæc enim sunt Antiquitatis verba. Lucas verò ipse affirmat, se ea conscripsisse, quæ Apostoli in Antiochena Ecclesia, quæ prima Christianis hoc nomen dedit, tradiderunt: & quæ Ecclesiæ illa Gentium, quas cum Paulo perultravit, certa & indubitata fide tenebant.



Et hæc Ecclesiæ, Hierosolymitana, Antiochena, & Romana, extra omnem controversiam tunc fuerunt præcipuæ. Addatur autem & Alexandria, ad quam Marcus cum Evangelio suo, postquam illud conscripsisset, profectus esse scribitur. Et jam de Ephesina etiam dicemus.

Si ergo pio studio quæritur, quæ sint veræ & indubitata Apostolorum traditiones: Quæ sit *πληροφορία* hoc est, certa & indubitata fides primæ Ecclesiæ, imò illarum Ecclesiarum, quas Tertullianus vocat matrices: Lucas controversiam illam, quæ caput est diffensionis inter nos & Põtificios, in sua præfatione dilucidè dirimit. Quæ inter nos sunt certæ fidei, sicut Apostoli nobis tradiderunt, constitui accuratè conscribere.

Restat, ut de quarto, hoc est, de IOANNE aliquid dicamus. Huic enim Deus longiorem vitam post mortem reliquorum Apostolorum concessit, ideò sine dubio, quia prævidit fore, ut Ecclesiæ statim post excessum Apostolorum turbarentur, prætextu traditionum Apostolicarum. Ut igitur Apostolica vigilantia Ecclesiæ ad omnem posteritatem prospiceretur, ne vel supposititiæ traditiones, vel adulterina scripta, pro vera & genuina Apostolorum doctrina Ecclesiis obtruderentur, permisit Deus, Joannem Apostolum diutius in carne manere: tanquam vigilem & postremum inspectorem. Nota enim est historia, quam Tertullianus & Hieronymus recitant: Cum statim post mortem Pauli, libellus quidam de Periodo Pauli & Teclæ in Ecclesiâ spargeretur, & à multis sub nomine & titulo Pauli circumferretur, Presbyterum quendam in Asia *σπουδασην* Pauli; convictum à Joanne Apostolo, quòd auctor esset istius libri, & confessum, se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse. Hæc sunt Hieronymi verba in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.

Historia autem de Evangelio Joannis, si diligenter consideretur, multa utiliter monet. Cum enim post mortem Domitiani, Joannes ex Pathmo, in qua Apocalypsin scripsisse dicitur, sub Nerva rediisset in Asiam, invenit Ecclesias miserè perturbatas, clamoribus Cerinthi & Ebionis: qui, reliquis Apostolis morte sublati, Joanne verò relegato, jactabant alias traditiones, quas Apostoli viva voce suis familiaribus tradidissent. De Cerintho enim citatur ex Cajo, quòd revelationibus quibusdam, velut à magno Apostolo conscriptis, portenta sua inducere conatus fuerit. Et illud certius adhuc colligitur ex c. 2. & 3. Apocal. Ibi enim describitur, qualis fuerit Ecclesiarum status interea, dum Joannes in exilio esset. Et c. 2. v. 2. disertè dicitur: Examinaisti eos qui gloriantur se esse Apostolos, & non sunt. Item. v. 20. Permittis mulierem Iesabel, quæ dicit, se esse prophetissam, hoc est, novas prophetias seu traditiones, quasi ab Apostolis profectas, fingit, ut formam doctrinæ Apostolicæ depraveret, docere. Et quo prætextu sint usi, indicat in Epistola ad Ecclesiâ Thyatirensē. v. 24. *τὰ βιβλία ζωσ λεγασι*, hoc est, non vulgaria illa Apostolorum dogmata, quæ omnibus in ecclesia exposita & nota sunt, adferimus: sed profunda, recondita, & abstrusa mysteria, quæ Apostoli non cuivis è vulgo publicè effuderunt, sed silentio veneranda esse docuerunt,

& privatim suis familiaribus viva voce per manus tradiderunt: (utor verbis Pontificiorum.) Joannes verò vocat profunda Satana. Hinc certò potest intelligi, quibus certaminibus qualificata fuerit Ecclesiâ, interea dum Joannes in exilio erat.

Cum igitur hæc controversiæ ad Joannem, qui jam ex Pathmo reversus erat, deferrentur, non tantum ut scribit Eusebius l. 3. c. 24. ab Episcopis Asia, sed, (ut inquit Hieronymus) multorum fidelium & totius Ecclesiæ legationibus, trium Evangelistarum, quorum auctoritas strepitu profundiorum & reconditarum traditionum in dubiis vocabatur, scripta vidisse, & probasse fident & veritatem dictorum. Quia verò hæc quæstio magnis tumultibus agitabatur: Essetné alia & plura tradita quam scripta, hoc est, an omnia, quæ Dominus fecisset & dixisset, quæque Apostoli de ipsius rebus gestis tradidissent, comprehensa essent in scriptis trium Evangelistarum. Joannes igitur ea, quæ præter trium Evangelistarum narrationes & facta sciebat, & tradita noverat, quæque Spiritus S. Ecclesiæ ad omnem posteritatem necessaria & sufficientia iudicavit, conscripta sua Evangelica historia adiecit. Maximè quia Ebion solùm Matthæi Evangelium recipiebat, cui peculiare interpretationes, quasi ex traditione acceptas, affingebat. Joannes igitur ex ipsius Christi concionibus, quas ideò accuratius quam reliqui descripsit, veram interpretationem sumendam esse monstravit.

Addit autem Joannes suæ scriptioni hanc conclusionem, c. 21. v. 25. Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum, arbitror, mundum capere posse eos, qui scriberentur, libros. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius, Jo. 20, 31. Quas sententias Augustinus, Chrysostomus & Cyrillus intelligunt & interpretantur, non tantum de Joannis scripto, verum etiam de trium reliquorum historiis. Verba illorum adscribam. Augustinus tractatu 49. in Jo. 11. Cum Dominus Jesus multa fecisset, non omnia scripta sunt, sicut idem Joannes testatur, multa Dominum Christum, & fecisse & dixisse, quæ scripta non sunt. Electa autem sunt, quæ scriberentur, quæ salutem credentium sufficere videbantur. Cyrillus: Non omnia, quæ fecit Dominus, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata sufficere putarunt, ut recta fide & operibus ac virtute rutilantes, ad regnum cælorum perveniamus in Christo Jesu. Chrysostomus, quia Joannes pauciora aliis Evangelistis dixerat, subjungit: Multa quidem & alia, &c. Sed nec alii omnia collegerunt, sed quæ ad faciendam auctoribus fidem erant necessaria. Et quod supra annotavimus ex Augustino de consensu: Quicquid Dominus de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum Evangelistis tanquam suis manibus imperavit. Cyrillus in præfatione in Joannem inquit: Divinitus inspirata est, omnium Evangelistarum doctrina. Nam cum quasi ab alta specula, cuncta circumspiciat, auditorum undique commodum ita diligenti studio colligit, ut, qui veritatem divinatorum situnt dogmatum, si rectum omnino scripturarum sensum

sum inquirunt, faciliè quicquid eis conferat, in ea inveniunt.

Conjungit autem Joannes suum testimonium cum testificatione Ecclesiæ, quæ custos est Scripturæ sacræ. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium ejus. Joan. 21. v. 24.

Hoc igitur modo constitutus est Canon (sicut Ecclesia loquitur) quatuor Evangelistarum. Primò illo tempore scripserunt tres priores Evangelistæ, quo & ab Ecclesiâ Christi, & ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt: Sicut supra ex Augustino annotavimus.

Secundò: cum post mortem Apostolorum, reliquorum scripta Evangelistarum ab hæreticis prætextu traditionum, in dubium vocarentur de veritate & perfectione; Joannes divina inspiratione suam adjecit historiam, & unâ cum testificatione veræ Ecclesiæ sui temporis, testimonium perhibet quatuor illis scriptis, de fide, veritate, & de perfectione seu sufficientia, quantum fidei & salutis Ecclesiæ Spiritus sanctus necessarium judicavit.

Addamus & tertium auctoritatis testimonium. Post mortem enim omnium Apostolorum varia exorta sunt de Scriptura certamina. Marcion unicum tantum Lucæ Evangelium recipiebat: Ebionitæ Matthæi tantum, repudiatis cæteris. Alogi tres tantum Evangelistas recipiebant: Joannem verò Evangelium damnabant. Multa verò falsa & supposititia, ut Evangelium Basilidis, appellis &c. Multa *ψευδῆ γράφα* Ecclesiæ obtrudebantur. Gnostici ferebant Philippi quoddam Evangelium. Nazaræi Evangelium secundum Hebræos. Alii juxta Egyptios, secundum Thomam, Matthiam, Bartholomæum: Evangelium Petri, Andreae, duodecim Apostolorum, & Nicodemi, Protevangelii Jacobi, &c.

Ecclesia verò, cujus aures adhuc personabant recentis memoriæ voces Apostolorum, tuebatur auctoritatem quatuor Evangelistarum, quorum scripta ab Apostolis approbata & Ecclesiis commendata esse meminerat, & verè ut de re nota & comperta, testari poterat.

ψευδῆ γράφα vero & supposititia, rejecta & damnata sunt, duabus rationibus: 1. Sicut antea ex Tertulliano annotavimus: quòd viventibus Apostolis illa scripta nec essent Ecclesiæ tradita, nec ab Apostolis approbata. Cum Apostolica auctoritas ad hanc rem necessaria sit. Quòd verò objiciebant hæretici, Apostolos quædam palam & universis, quædam secretè & paucis demandasse, & hæc post mortem eorum proferri, egregiè refutatur à Tertulliano de præscriptione hæreticorum. 2. Quia forma doctrinæ, sicut ab Apostolis tradita erat, ruit adhuc plenè, pu-

rè, sincerè sonabat publicè in Ecclesiis. Irenæus igitur & Tertullianus ostendunt, traditiones omnium Ecclesiarum, quas recens ab Apostolis acceptas religiose conservabant, consentire cum Scriptura. Et nullas alias traditiones, quæ sub Apostolorum titulo & nomine jactentur, recipiendas, quàm quæ & Scripturam comprehendunt, & illi consentaneæ sint. Ita enim traditiones & Scripturam conjungit Irenæus lib. 4. cap. 63. Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in uno quoque loco esse Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usque ad nos custodia sine fictione, scripturarum tractatione plenissima, sine falsatione & ablatione, & secundum scripturas expositio legitima & diligens, & præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quàm agnitio &c.

Ita Serapion apud Eusebium lib. 6. Evangelium quoddam, præferens titulum Petri, deprehendit esse adulterinum. Inquit enim; Nos trates, & Petrum & alios Apostolos *ἀποδείχθη*, sicut & Christum, sed *ὄνοματα ἀδελφῶν ψευδῆ γράφα*, velut *ἐμπειροί* eorum sensus & sententiæ *παράσιμυδα*: scientes quod talia *ἐκ παραδόξου*.

Hæc de scriptis quatuor Evangelistarum principio annotare volui, quæ, quia complectuntur dicta & gesta Salvatoris, sunt quasi materia doctrinæ Apostolicæ sive Novi Testamenti. Quomodo verò ex hac materia extruantur articuli fidei seu dogmata Apostolicæ Ecclesiæ, hoc est, quomodo dicta & facta Christi, in Evangelistarum scriptis comprehensa, accommodanda sint ad doctrinam de pœnitentiâ, de fide, de fructibus pœnitentiæ: & quomodo falsa dogmata inde refutanda sint, ostendunt epistolæ Apostolicæ, de quarum auctoritate & approbatione eodem modo, sicut de Evangelistarum scriptis diximus, utiliter tractari potest, ut fides nostra acquiescat in hoc fundamento. Sicut Tertullianus inquit: cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus.

Et res manifesta est. Quæ enim Christus fecit & docuit, Evangelistarum scriptis, quantum salutis credentium sufficere Spiritus sanctus judicavit, comprehensa sunt. Quomodo verò illa sint intelligenda, & ad usum transferenda, quæ dogmata, exhortationes, refutationes & consilia inde extruenda, in Apostolicis literis explicatur. Sed hæc tractatio non est præsentis loci. Progrediamur itaque ad argumentum, quod nos tractare instituimus.



alterius esse poterit, quæ ejus, qui est unigenitus Patris: & hoc est, quod dicit: *gloriam quasi unigeniti*. Et quia paulo ante dixerat, nos fieri filios Dei, & ex Deo natos esse. Ut igitur discrimen ostendat, vocat *λογον* unigenitum, qui ex Deo unigenitus sit: non sicut nos adoptione ex Deo nascimur, sed quod sit *μονογενης*, ex substantia scilicet Patris, ut verus Deus: & hoc est *μονογενης πατρος*. Quidam hanc præpositionem *απο* referunt ad superiora, ut sensus sit: spectavimus in Christo gloriam à Patre, scilicet ipsi collatam, tanquam unigeniti gloriam. Putant enim, cum *μονογενης* nomen sit & non participium, non posse construi cum præpositione. Sed Ebraismus usitatus est, quod nomina retineant constructionem verborum & participiorum: ut salutem ex inimicis, ira & unigenitus à patre dicitur, qui scilicet unus & solus singulariter à Patre sit genitus.

Quod verò sequitur (*plenus gratia & veritate*) constructione non convenit cum proximè præcedentibus, (*gloriam ejus tanquam unigeniti*) nec ad verbum *vidimus*, potest referri. Est enim nominativus *πληρης*. Quidam igitur ad subsequentia referunt, hoc modo: Plenus gratia & veritate Joannes testificatur, sicut Stephanus dicitur plenus gratia, Act. 6. v. 8. Sed præterquam quod ita perit pulcherrima sententia de beneficiis Christi, sequentia manifestè ostendunt, de Christo hæc dici. Sequitur enim, Gratia & veritas per Christum facta est. Item, ex plenitudine ejus nos omnes accepimus. Quod autem ad constructionem attinet, per Parentes in rectè illa complanatur, hoc modo: (*λογος*) *caro factus est, & habitavit in nobis, (vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à patre) plenus gratia & veritate.* Et pro gratia Syrus quidem reddidit *πνευμα* quod bonitatem, pietatem & beneficentiam significat. Sed simplicius & rectius est, Paulinam significationem vocabuli *χαρις* retinere, ut significet, beneplacitum, favorem

seu benevolentiam, qua Deus aliquem complectitur. Quæ significatio pulcherrimam hoc loco sententiam præbet: Humana enim natura in Adamo, propter peccatum, facta fuit abominatio coram Deo, Gen. 6. v. 6. Psal. 14. v. 2. Sed quia *λογος*, qui ab æterno fuit dilectus filius, naturam humanam assumpsit, de tota jam persona, ita ut simul etiam assumptam naturam complectatur, Pater loquitur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et plenitudinem ejus gratia Paulus ita explicat, Ephes. 1. v. 6. Quia in dilecto & per dilectum illum *εχαριτωσε* gratos nos habet, & acceptos sibi reddit. Plenitudinem igitur gratia, qua homines complecti vult Deus, in Christo incarnato deposuit, ut ibi quaratur, & inde accipiatur.

Et sequens antithesis, Mosis & Christi, Legis & Evangelii, ostendit verum sensum. Lex enim est ministerium peccati, ira & mortis, Rom. 4. v. 15. & 2. Cor. 3. v. 9. Huic verò opponitur Christi gratia. Factus enim est nobis à Deo justitia cuius imputatione per Dei gratiam justificamur, hoc est, grati & accepti ipsi reddimur ad vitam æternam. Ita Lex continet figuras & umbras, ac externam morum disciplina conformitatem extorquere potest. Huic verò opponitur veritas in Christo: quod scilicet, 1. Omnia quæ in Lege præfigurata fuerunt, in Christo verè sint impleta. 2. Quod suos verè renovet spiritu mentis, ut fiant novi homines. Hæc enim renovatio, Ephes. 4. v. 24. vocatur veritas in Christo. 3. Quia bona, beneficia & dona Christi Mediatoris non sunt fallacia, fluxa, vana & evanida, sed vera, stabilia, solida & perpetua. Dicitur autem (*plenus gratia & veritate*) quod de divina essentia propriè non dicitur, quæ ipsa est veritas, sed quia *λογος* incarnatus, in suo officio, merito obedientia & passionis acquisivit plenitudinem seu thesauros gratia & veritatis, ideò plenè dicitur, ex cuius plenitudine rivuli in credentes derivantur. Sicut hæc sententia in sequentibus explicatur.

CAPUT II.

CONTINENS HISTORIAM, DE CONCEPTIONE BAPTISTÆ,

Luc. 1.

RATIO ORDINIS



Xtra controversiam est, & per se patet, hanc historiam in Harmonia Evangelica post proœmium primo loco collocandam. Baptista enim

historia, ut præcursoris, præcedit historiam Christi. Et in Baptista historia primum locum obtinet illa, quæ est de conceptione ipsius.

HISTORIA DE CONCEPTIONE BAPTISTÆ, Luc. I.

1. Εγένετο εν τῇ ἡμέρῃσις Ηραδου ὁ βασιλεὺς τῆς Ἰουδαίας, ἀρεὺς τῆς ὀνόματι Ζαχαρίας, ἐξ ἱερατῆος Αβια, ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ααρων, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἐλισάβετ.

5. Erat in diebus Herodis regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.

6. Ἦσαν